OPVSCVLVM
DE
SACERDOTIO
Ex ITALICO
TRADUCTUM Anno MDCCLXX.

VARSAVIÆ
In Typographia MITZLERIANA.
1770.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Obediens Decretis Vrbani VIII. Pontificis maximi, protestor de omnibus his, quæ dicturus sum in hoc opusculo de Sacerdotio, quo ad revelationes, miracula; me non tribuere illis, vllam aliam auctoritatem, præter humanam; neque addere viris Dei, titulos Sancti vel Beati, nisi secundum morem & opinionem acceptam; Sanctis ac Beatis exceptis, quos S. R. Ecclesia, albo Sanctorum inseruit, talesque eos, ab omnibus Fidelibus haberi voluit.

OPUSCULI DE SACERDOTIO

PARTIS PRIMÆ CAPUT PRIMUM

De Dignitate Sacerdotis.

I.

PUlcherrima Sanctorum Patrum, de Dignitate Sacerdotis, dicta accipe. D. Ignatius Martyr, Dignitatem Sacerdotis, ait, omnium Dignitatum summam (*Epist ad Smyr:*) *Omnium apex est Sacerdotium.* S. Ephrem: (*de Sacerd:*) dignitatem infinitam dicit. *Miraculum stupendum, magna, immensa, infinita Sacerdotii dignitas.* D. Ioannes Chrysostomus (*lib: 3. de Sac: cap: 3.*) *Sacerdotium*, inquit, *in terris peragitur, sed in cœlestium rerum ordinem, referendum est.* Cassianus (*in Cath: glor:*) exclamat: *ó Sacerdos DEI, si altitudinem cœli contempleris, altior es; si Dominorum sublimitatem, sublimi-*

 or es;

or es; *solò DEO et Creatore tuò, inferior es!* Et Innocentius III. (*serm: 2. in cons: et Pontif:*) fatetur, quod Sacerdos *inter DEUM et Hominem medius constitutus, minor DEO, sed maior homine.* S. Dionysius Sacerdotem apellat hominem divinum: *Qui Sacerdotem dixit, prorsus Divinum insinuavit Virum.* Quocirca idem Sanctus dixit, Dignitatem esse Divinam: *Angelica, imo Divina Dignitas* [*de Cæles. Hier: c. 3*] Denique D. Ephrem concludit: *Excedit omnem cogitationem, donum dignitatis sacerdotalis.* Honorandi ergo Sacerdotes sunt, ceu ipsemet Christus; de iis enim dixerat Saluator: (*Lucæ 10. 16.*) *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* Idcirco D. Chrysostomus in Mathæi cap. Homil: 17. *Qui honorat Sacerdotes, honorat Christum; et qui iniuriat Sacerdotem, iniuriat Christum.* Ven. Maria Ogniciaca hac de causa, vestigia impressa terræ, Sacerdotum pedibus, sæpius exosculari traditur.

2. Si dignitatem Sacerdotum, quo ad officium eorum spectemus, magnam certe considerabimus. Sacerdotes ad peragenda in terris negotia, sunt à supremo electi Numi-

Numine. *Genus divinis ministeriis mancipatum* [*S. Cyrillus Alexand. lib. 13. de Ador.*] D. Ambrosius nuncupat officium Sacerdotis divinam professionem: *Deifica professio* [*de dign: Sacerd; cap. 3.*] Sacerdotes ministri constituti à Deo, quasi Legati in Ecclesia, ut perorent pro Fidelibus, ad obtinendas gratias. Omnis Ecclesia, neque Deum honorare, neque gratias facilius impetrare potest, quantum. Sacerdos, missam celebrans. Non magis honoratur ab Ecclesia Deus, offerente singulorum hominum vitam, quam per Sacerdotem divina peragentem; quid enim valoris habet, hæc oblatio omnium hominum vitæ, versus oblationem sacrificii immensi valoris? Quid certe sunt homines quo ad Deum, ni pulvis & umbra? *Quasi stilla situlæ, pulvis exiguus* (Isaiæ 40. v. 15.) imo nihilum. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Eo* [*Osee 5*] Sacerdos itaque celebrans, honorat Deum supremè, ut offerens sacrificium immensum & maius, quam si singuli homines offerrent, vitam propriam ponendo. Maiorem præstat honorem Sacerdos, quam præstiterunt, præstant-

ſtantque Angeli, Sancti, ac Ipſamet Virgo Sanctiſſima MARIA; colere enim infinitô modô, ut Sacerdos celebrans, nequeunt.

3. Sacerdos celebrans, offert Deo gratiarum actionem dignam pro gratiis in Paradyſo divis factam; dignam vero gratiarum actionem inſimul licet, Beati reddere nequeunt. Hâc ergo ratione, dignitas Sacerdotis maior eſt dignitatibus cœleſtibus. Plura. Sacerdos apud Deum legatione fungitur, pro univerſo mundo, ut impetret gratias neceſſarias creaturis. S. Chryſoſtomus *de ſac: lib. 6. c. 4. pro univerſo orbe, Legatus intercedit apud Deum: Sacerdos familiariter cum Deo agit [S.Ephr: lib. 1.* de Sacerd:) ſolis ſacerdotibus, non clauditur porta.

4. JESVS mortuus, ut Sacerdotem conſtitueret. Non omnino neceſſarium fuerat, ad ſalvandum mundum, ut mortem oppeteret Salvator; ſufficeret gutta ſanguinis ac lacryma una, breviſſimum ſuſpirium; ſuſpirium enim infiniti valoris, poſſet non unum, ſed mille mundos ſalvare. Sed ut forent Sacerdotes morte opus erat Chriſti, unde enim victima inveniretur hæc,

hæc, quâ egemus in nova lege? victima ſancta & immaculata, digna honorandi Deum? vita omnium hominum, Angelorum (dixi ſupra) non dignum redderet honorem Patri cœleſti, quem reddit Sacerdos celebrans miſſam.

5. Conjicitur dignitas Sacerdotum ex poteſtate iis commiſſa ſuper Corpus Chriſti, reale tam, quam myſticum. Quoad corpus reale, eſt de Fide, Sacerdos quod dum conſecrat, verbum incarnatum obediat ei, atque deſcendat ſub ſpeciem ſacramentalem. Miraculum factum dicimus, quod Deus obedierat homini, (obediente Deô voci hominis) Joſue ſolem retraxerit, poſtquam hic dux protuliſſet: *Sol contra Gabaon ne movearis. . . ſtetit itaque ſol in medio cœli* (Ioſue 10. 12 & 13.) Sed maius procul dubio, videre audireque, Deum obedire ipſum, Sacerdoti proferenti: *Hoc est Corpus meum*; venire ad vocem eius, quotiescumque vocat, & manibus tractandum ſe concedere, licet ſuo inimico; venientem, totum ſe dedere diſpoſitioni ſacerdotis. Movet enim ſacerdos Corpus Chriſti, quo vult; claudit Illud in

in Cyborio, & obedit; effert extra altare, extra templum, & obedit; sumit Sacerdos, vel alteri ad sumendum tribuit, & obedit. *O! maxima potestas! ad eorum pene libitum, Corpus Christi de panis transsubstantiatur materia; descendit de Cœlo, in carne verbum, et altaris reperitur in mensa! Hoc illis*, scilicet sacerdotibus, *erogatur ex gratia, quod nusquam datum est Angelis. Hi assistunt Deo; illi contrectant manibus, tribuunt, et in se suscipiunt* (S. Laur: Iustin. Serm: de Eucharistia, n. 27.)

6. Quoad autem Corpus Mysticum JESV Christi, ut sunt omnes fideles, sacerdos habet potestatem clavium, ad liberandum peccatorem ab inferno, facereque dignum Paradysô, ex mancipio dæmonis, filium Dei. Ipse Deus iudicium sacerdotis sequitur; donat etenim, vel condemnat, prout sacerdos absolvit, vel denegat absolvere pœnitentem. *Tanta sacerdoti attributa est potestas iudicandi, ut arbitrio eius poneretur cœleste iudicium. S. Maximus.* Sacerdotis decretum, Salvator corroborat absque dubio. *Præcedit sententia Petri, sententiam Redemptoris; Dominus sequitur servum;*

et quidquid in inferioribus iudicaverit, hoc ille in supernis comprobat. S. Petrus Dam: Serm: 27.

7. Sacerdotes sunt Dispensatores gratiarum divinarum & socii Dei. *In Domo Dei, divinorum bonorum Oeconomos, sociosque Dei, sacerdotes respicito. S Ignatius Martyr Epist: ad Polycarp:* sunt honor & columnæ Ecclesiæ; sunt porta, & ostiarii cœli. *Ipsi sunt Ecclesiæ decus; Columnæ firmissimæ; ianuæ Civitatis æternæ, per quas omnes ingrediuntur ad cælum; ipsi ianitores, quibus claves datæ sunt Regni Cælorum: ipsi Dispensatores Regiæ Domûs, quorum arbitriô dividuntur gradus singulorum. S. Prosper lib: 2. de vita Cont: cap. 3.*

8. Si descendens Redemptor in templum, sederet in confessionali, ad administrandum Sacramentum pœnitentiæ, in alio autem sederet sacerdos: IESVS diceret: *Ego te absolvo*, sacerdos etiam diceret: *Ego te absolvo*, ab utroque vere, pœnitentes absolverentur. O! quantus honor foret subditi, cui Rex plenam potestatem liberandi quos vellet de carcere tribueret? longe maior ea potestas à Patre æterno

no data Christo, à Christo vero sacerdotibus, liberandi de inferno, non corpora, sed animas. *Omne iudicium à Filio illis traditum; nam quasi in cœlum translati, ad principatum istum perducti sunt. Si cui Rex hunc honorem detulerit, ut potestatem habeat quoscumque in carcerem conjectos laxandi, beatus ille iudició omnium fuerit. At vero, qui tanto maiorem à Deo acceperit potestatem, quanto animæ corporibus præstant! Chrys: de sac: lib: 3. cap. 5.*

9. Dignitas Sacerdotum, nobilior est omnibûs mundi dignitatibûs. *Nihil excellentius in hoc sæculo D. Ambrosius de Dignit: sac. cap. 3.* superat omnem dignitatem Regum, Imperatorum & Angelorum. *Prætulit vos sacerdotes Regibus et Imperatoribus, prætulit Angelis. S.* Bernardus *ad Pastor: in syn:* asseritque Ambrosius id discriminis inter sacerdotem & Reges esse, quod inter aurum & plumbum. *Longe erit inferius, quam si plumbum ad aurum compares. Aurum non tam prætiosus est plumbó, quam Regiá potestate altior est dignitas sacerdotalis. S. Ambros. de dignit sac. Cap. 2. Distin, 36.* Ratio huius illa, quod Reges

ges super bona temporalia & corpora, extendant suam auctoritatem, sacerdotes vero super animas. *Quanto anima corpore præstantior est, tanto est sacerdotium regnó excellentius S. Clemens L. 2. Cap. 34.* Et S. Ioannes Chrysostomûs *Hom: 5. in Isaiam: habent Principes vinculi potestatem, verum corporum solum, Sacerdos vinculum etiam animarum contingit.*

10. Reges terræ, omni cultu sacerdotes prosequuntur. *Boni Principis est, Dei sacerdotes honorare,* (scribit Marcellinus Papa *in c. Boni Principis, distin. 96.*) libenter genuflectunt coram sacerdotibus, osculantur manus, benedictionem postulantes, *Sic Reges flexis genibûs offerunt vobis,* sacerdotes *munera, et deosculantur manum, et eius contactu sanctificantur. Petrus Bles. serm: 47. maior est hic principatus, quam Regis; propterea Rex submittit caput manui sacerdotis. Chrysostom: Hom. 4. de verb. Isai.* Narrat Baronius ad annum Christi *325. n. 15.* Leontium Episcopum Tripolitanum ab Eusebia Augusta vocatum, hoc pacto adiisse, ut Imperatrix viso Presule, assurgeret de throno, demisso capite benedictionem peteret,

teret, & non assideret nisi permissu Episcopi. S. Martinus invitatus ad Imperatorem Maximum, suo Capellano reverentiam prius exhibuit, quam Imperatori, ad ipsum poculum præbendo. Constantinus in Nicæno Concilio, ultimus humili in sella, post sacerdotes, acceptôque eorum consensu sedit, *in vita Constantini lib. 3 c. 22.* S. Boleslaus Rex, tanta cum reverentia sacerdotes venerabatur, ut neque auderet sedere in eorum præsentia.

11. Dignitatem sacerdotum, scribit S. Thomas esse supra Angelicam *3. p. qu. 22. art: 1. ad 1.* Et S. Gregorius Nazianzenus: *sacerdotium ipsi Angeli venerantur.* Singuli Angeli Cœlorum, absolvere peccatorem nequeunt. Assistunt quidem Angeli animabus hominum, & ut recurrant, in peccato existentes, ad sacerdotem. *Licet assistant, præsidentis* sacerdotis *imperium expectantes, nullus tamen ligandi aut solvendi possidet potestatem. S. Petrus Dam. serm. 26. de Sanc. Petr.* Quamvis D. Michael invitatus a moribundo, veniat ad eum in auxilium, monstraque tartarea pellat; catenis tamen soluere, nisi sacerdos nequit. S. Franciscus Salesius ordinatum à se, quendam pium Clericum, præcedere noluit, dicens: video Angelum, qui ante ordinationem præcesserat hunc clericum, post eam, sequentem Præsbyterum. S. Franciscus Assisius dictitabat: si una videret sacerdotem & Angelum, prius veneraretur sacerdotem, demum Angelum.

12. Plura. Dignitas sacerdotis, superat Virginis Beatissimæ dignitatem, quamvis Dei Matris; hæc enim intercedere & multum impetrare hominibus quamvis possit, absolvere tamen nunquam. Innocentii III. verba (c. nova quædam de Pœni. & remi:) *Licet BB. Virgo excellentior fuerit Apostolis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni cælorum commisit.* S. Bernard: Sen: *Virgo benedicta excusa me, quia non loquor contra Te: sacerdotium ipse prætulit supra Te Tom. I. Serm. 20. Art. 2. c. 7.* Cuius apponit causam, Maria concepit semel; sacerdos consecrans, ut his verbis utar, concipit quantum vult. Si persona Redemptoris non foret in mundo, sacerdos proferens verba consecrationis, produceret personam Dei, hominis. *O! veneranda sacerdo-*

cerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius, veluti in utero Virginis, incarnatur. Dicit S. Augustinus *Hom: 2. in Psalmum 37.*

13. Quocirca D. Bernardus, *Parentes Christi* vocat sacerdotes. *serm: ad Pasto: in Syn:* Sacerdos, est activa causa, quod realiter existat Christus in hostia; & dicere aliquomodo possumus, sacerdotem esse Creatorem sui Creatoris; creat enim, ut sic exprimam, Iesum Sacramentatum, dans esse Sacramentale; & producit victimam, offerendam Patri æterno. Cui verba scripturæ accommodari possunt, *Psalm: 39. v. 9. Quoniam ipse dixit, & facta sunt,* sufficit enim sacerdoti proferre super panem: *Hoc est corpus meum,* & panis, iam non panis est, sed corpus Christi. *Potestas sacerdotis, sicut potestas divinarum personarum; quia in panis transubstantiatione tanta requiritur virtus, quanta in mundi creatione. Bernard. ut supr: loc. cit. O! venerabilis sanctitudo manuum! ô felix exercitium! qui creavit me, [si fas est dicere] dedit mihi creare se; & qui creavit me, sine me, Ipse creavit se, mediante me! Aug. in Psalm: 37. Ad nutum Domini, de nihilo substiterunt excelsa Cœlorum, vasta terra-*

terrarum; ita parem potentiam Sacramenti verbis probet virtus. S. Hieronymus serm: de Corpore Christi. Magna certe dignitas benedicere corpus Christi super altare, ut victimam offerendam Patri æterno. Mansius (tract. 22. Disc: 12. n. 6.) habet, quod in sacrificio missæ, consideratur Iesus, ut offerens principalis, & ut victima; offerens benedicit sacerdotem, victimam benedicit sacerdos.

14. Dignitas sacerdotum, coniicitur ex eo, quid sint sacerdotes. Appellantur sedes Sanctorum: *locus Sanctorum Syn: Carnot: An. 1550.* Vicarii Iesu. Vos estis Vicarii Christi, *quia vicem Eius geritis S. Aug. Serm: 30. ad Fra:* Idem S. Carolus Borromeus in Synodo Mediolanensi: *Dei personam in terris gerentes.* Ante quem Apostolus dixerat: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deô exhortante per nos 1. Tim. 2. 5.* Ascendens Iesus ad cœlum, sacerdotes reliquit in loco suo, ut sint mediatores inter Deum & homines. Accedat *sacerdos ad Altaris tribunal ut Christus S. Laur: Just. sacerdos in altari vice Christi fungitur. S. Cyprianus, cum videris sacerdotem offerentem, conside-*

consideres manum Christi, invisibiliter extensam. *Chrys. Hom: 69. ad Pop. anti.*

15. Sacerdos tenet locum Christi, etiam quo ad absolutionem à peccatis, dicens: *Ego te absolvo.* Maxima hæc potestas data à Patre æterno Christo, à Christo vero communicata sacerdoti. *Jesus de suo vestiens sacerdotes Tertul:* Ad condonanda peccata opus Omnipotentiâ Divinâ: *Deus qui Omnipotentiam Tuam,* canit Ecclesia, *parcendo maxime et miserendo manifestas.* Quocirca, non absque ratiocinio Hebræi dixerant, videntes Iesum dimittentem peccata: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Quod ergo Deus omnipotentiâ suâ, id etiam sacerdos dicens: *Ego te absolvo à peccatis tuis.* Hâc formâ prolatâ fit effectus. Quantum foret miraculum, videre quem, hanc habentem virtutem, ut possit verbô mutare Æthiopem, efficereque ex nigro album? plura sacerdos efficit, mutat enim inimicum Dei in amicum; mancipium inferni in filium Paradysi, proferendo verba: *Ego te absolvo.*

16. Hugo Cardinalis, scribens in Epist. Pauli ad Corinth. *1. c. 3.* inducit Deum dicentem:

centem: *Ego feci Cœlum et Terram, verum tamen, nobiliorem et meliorem do tibi creationem; fac novam animam, quæ est in peccato. Novam animam,* ut ex subdita dæmoni, facias filiam meam; *Ego feci, ut terra produceret fructus suos, do tibi meliorem creationem, ut anima fructus suos producat.* Anima absque gratia, est arbor sicca, non ferens fructus; sed receptâ gratiâ, per manus sacerdotis, fert fructus vitæ æternæ. *Maius est,* dicit Augustinus, *opus ex impio iustum facere, quam creare Cœlum et Terram.* Quærit Iob: *Etsi habes brachium ut Deus? etsi voce simili tonas? Job 40. 4.* Quis talis est, ni sacerdos? habet enim brachium, & voce suâ liberat animam ab inferno.

17. Scribit D. Ambrosius, *munus esse Spiritus Sancti, officium sacerdotis* iustitiam animæ dantis. Hac enim de causa, dans Spiritum Apostolis Redemptor, S. Ioannis verba: *Insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Joan: 20. 22.* Dedit Spiritum Sanctum, ut eius sint Coadiutores, iuxta illud *2. Corinth: 1. 23. Dei adiutores sumus.* Et S.

 Gre-

Gregorius *Principatum Divini iudicii sortiuntur, ut iure Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent*, unde S. Clemens ait, sacerdos *post Deum, terrenus Deus* & David: *Deus stetit in medio Deorum. Psalm 81. 1.* Hi Dii, explicat D. Augustinus, sunt sacerdotes. *Dii excelsi, in quorum Synagoga, Deus Deorum stare desiderat. Aug. Serm: 36. ad Presby: ad Erem:* Innocentius III. *in Cano: cum ex iuncto de Hæret. Sacerdotes, propter officii dignitatem, Deorum nomine nuncupantur.*

18. *Non sit ergo honor sublimis, & vita deformis; deifica professio, et illicita actio Actio necesse, respondeat nomini. S. Ambros. de dign: Sac. c. 2. Quid est dignitas, indignis humeris posita, nisi gemma, luto superstrata? Sal. lib. 2. ad Eccles. Cath.*

19. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es Tu, ego hodie genui Te. Hæbr: 5. 4.* Admonet Apostolus his verbis, ut nemo sacerdotium adeat, nisi vocatus à Deo; Ipse enim Christus vocatus à Patre, primo sacerdotium

tium iniit. Intelligamus, quanta sit dignitas sacerdotii; & quo altior, eo magis de illa timendum nobis. *Grandis dignitas sacerdotum*, dicit S. Hieron: *sed grandis ruina eorum si peccant; latemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. S. Hieron: lib. 3. in Ezech: ad c. 44.* Conqueritur S. Gregorius clamans: *Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati, Cælestem Patriam; et sacerdotes ad inferni supplicia festinant.* Similes aquæ Baptismali, quæ lavat alios, *et ipsa in cloacas descendit S. Greg. Hom: 17. in Evang.*

CAPUT II.

DE FINE SACERDOTIS.

I.

R*Eperio omnes Sanctos, divini ministerii ingentem veluti molem formidantes, ad Cler. Rom: scribit D. Cyprianus.* Et Epiphanius Epistol: ad Ioan: Hier: quod non invenerit eos; qui vellent sacris ordinibus initiari. Concilium Carthaginense, adigere iussit

jussit metuentes ordines suscipere. Habet in suis libris D. Gregorius Nazianzenus: *Nemo latô animô creatur Sacerdos.* Scribit Paulus Diaconus in vita S. Cypriani, quod cognoscens se ordinaturum abscondit se ex humilitate; *humilitate secesserat.* S. Fulgentius in vita sua habet; *vota populi, velociori fugâ præveniens, latebrîs abscondebar incertîs.* S. Athanasius, ut narrat Sosomenus, fugit, ne ordinaretur. S. Ambrosius dicit: *quam resistebam, ne ordinarer!* S. Gregorius, licet miraculose patefactus, mercatoris tamen indutus vestibûs, ne ordinaretur, latebat.

2. S. Ephrem, ne susciperet sacerdotium, stultum se finxit. S. Marcus, pollicem abscidit sibi. S. Ammonius, mutilavit nasum & aures, & insistenti populo, linguam etiam pollicebatur sibi amputaturum. S. Franciscus, cui revelatum, mundam debere esse animam, ut aqua pura in phiala monstrante, Diaconus tantum factus. Abbas Theodorus, etiam Diaconum tantum egit. Abbas Montuanus, indignum se celebratione agnoverat. Monachi antiqui, austeram ducentes vitam, paucis-

paucissimi initiabantur sacerdotio. Quocirca D. Basilius experturus obedientiam unius, sub merito obedientiæ, ordinari præcepit. Qui conaretur velle esse sacerdos, hunc superbum omnes habuerunt.

3. Cur vellem scire, Sancti Viri; viventes iuxta Cor Dei, renuebant ordinari; nunc vero turmatim currant ad sacros ordines, apertîs vel occultîs viis, onus tam grande rapiant? *Ah! miseri,* D. Bernardus exclamat, *ita inscriptos in libro Sacerdotii, norint se esse inscriptos in numero damnatorum!* Quapropter, hi omnes non à Deo vocati sunt, sed à Parentibus, à negotiis privatis, ab ambitione. Non ergo Domum Deî ingrediuntur, ob finem proprium sacerdotibus, sed spiritu sæculi. Unde populus desertus? Ecclesia non in honore? Animæ tot damnantur? ex vocatione mala ad sacerdotium.

4. Omnes Deus vult salvos fieri, ast non per easdem vias. Et ut in cœlo distincti gradus sunt gloriæ, ita in terra diversi status, ceu viæ diversæ ingrediendi cœlestem patriam. Nobilissimus & altissimus status sacerdotum, finis enim eorum altissi-

altissimus & sublimis. Quis igitur finis? forte dicere Horas Canonicas, celebrare sacrum, & vivere sæculi vitâ? non hic profecto, sed honor Dei & salus animarum. *Omnis namque Pontifex assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis qui ignorant et errant Hæb: 5. 1. Fungi sacerdotiô et habere laudem, Eccles. 45. 19.* id est, explicat Cardinalis Hugo, *ad fungendum officium, laudandi Deum.* Cornelius à lapide: *sicut Angelorum perpetuo laudare Deum in cœlis, sic sacerdotum est, Eundem iugiter laudare in terris.*

5. Instituit Iesus Christus sacerdotes, suos cooperatores & procuratores honoris Patris æterni, salutisque animarum. Reliquit eos ascendens ad cœlum, *veluti amoris sui vicarios. S. Ambros. Com. in cap. ult. Lucæ.* Ipsemet Christus dixit ad Discipulos: *sicut me misit Pater, et ego mitto vos. Joan: 20. 21.* Relinquo vobis idem officium, propter quod ego veni à Patre meo, ut manifestetis nomen Eius coram hominibus. Et loquens in persona Patris:

tris: *Ego te clarificavi super terram, opus consumavi; manifestavi nomen tuum hominibus. Joan. 17. 4. sanctifica eos in veritate* &c. *Sicut Tu me misisti in mundum, & Ego misi eos. Ibid.* Itaque sacerdotes sunt in mundo, ut faciant cognoscere Deum; eius perfectiones, Iustitiam, Misericordiam, Dei præcepta; inculcent respectum, obedientiam & amorem debitum; quærant oves deperditas, ponantque vitam, dum est necessum. Hic finis propter quem venit Christus; & hic finis etiam, propter quem sacerdotes sunt constituti, *Sicut me misit Pater &c.*

6. Jesus venit in mundum, ut accenderet ignem amoris Divini: *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur? Lucæ 12. 49.* Sumus sacerdotes, non ad acquirendum argentum, non ad conquirendos honores, bona terræ, sed ad insinuandum amorem Dei. *Ideo vocati sumus à Christo, non ut operemur, quæ ad nostrum sunt usum, sed quæ ad gloriam Dei. Verus amor non quærit, quæ sua sunt, sed ad libitum amati, cuncta desiderat perficere. Auct: operis imperfect: Hom: 34. in Matthæum.*

um. Dicit Dominus in Lev. ad ſacerdotes: *Ego elegi vos, et ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei Lev. 26. 20.* addicti laudi, ſervitio & amori meo. *Mei Sacramentorum cooperatores et diſpenſatores. S. Petrus Dam. Opuſ. 8. Mei* Rectores gregis Chriſtiani. *Vos eſtis duces et rectoris gregis Chriſti. Petr: Bleſ. Ep. 1. Mei,* D. Ambroſius in ſumma dicit: *Verus miniſter altaris; Deo non ſibi natus. Num parum vobis eſt, quod ſeparavit vos Deus, et junxit ſibi? Num. Ibidem 9.*

7. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Joan: 12. 26 Sequatur* Jeſum Chriſtum in fuga à mundo, in iuvamine animarum, in amore Dei, in extirpatione peccatorum. *Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me Pſ. 68. 6.* Sacerdos vere ſequax Chriſti, iniuriam factam Deo, tanquam ſibi intelligit. *Fuit neceſſarium, aliquos è populo ſeligi, ac deſtinari, qui ad impendendum Deo cultum, ex ſui ſtatûs obligatione & inſtitutione intenderent. Claudius Fraſſen. tom. 12. tract: 3. d. 1. Art: 1. qu. 1.*

8. In aulis Monarcharum conſtituuntur miniſtri, ut faciant obſervare leges, repri-

mant

mant ſeditioſos, defendant honorem Regis. Ideo etiam conſtituti ſacerdotes, in aula Summi Regis Dei. S. Paulus idcirco dicit: *Exhibeamus nosmet ipſos ſicut miniſtros Chriſti. 2. Corinth: 6. 4.* Miniſtri Regum, omnem curam adhibent, ut integer ſit honor eorum, gloria; loquuntur cum reverentia, & vel minimum verbum, ſiniſtre contra Reges prolatum, cum quanto zelo non puniunt? vitam ipſam, dum opus, pro vita ponunt. Faciuntne id ſacerdotes pro Chriſto? ſunt miniſtri ſtatus; per manus eorum tractantur negotia gloriæ æternæ ſupremi Regis. Tollere peccata debent in mundo, propter quæ Chriſtus mortuus. *Crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati. Rom: 6. 6.* Quo modo in iudicio recognoſcentur pro veris miniſtris, dum locô, quod debuerint impedire homines, ne peccarent, ipſi primi coniurarunt in Chriſtum? quid narraretur de miniſtro, qui negotia Principis deſereret? imo in Monarcham inſurgeret? iniretque amicitiam, cum Regis inimicis?

9. Sacerdotes ſunt Legati Dei, *pro Chriſto legatione fungimur 2. Corinth: 5. Dei adiutores,* ad procurandam animarum ſalu-

tem.

nem. *1. Corinth: 3.* Ideo Iesus *insufflavit & dixit: accipite spiritum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ioan: 20. 22.* Quocirca scribit Doct: Theologus *Habert: Essentia sacerdotii consistit, in ardenti studio promovendi gloriam Dei, & salutem proximi Tom: 7. p. 7. Cap. 5. quæst: 2.*

10. Non ergo rebus sæculi deditus sacerdos esse debet, sed Dei negotiis. *Constituitur in iis, quæ sunt ad Deum. Hab. 5.* Ideo S. Sylvester Papa, iussit dies hebdomadæ nomine Feriarum vocari: *Quotidie Clericus, abiectâ cæterarum rerum curâ, uni Deo prorsus vacare debet. In festo S. Sylv. in Breviar.* S. Dionysius Areopag. exclamat: *omnium divinorum, divinissimum est, cooperari in salutem animarum.* Et S. Antoninus: *sacerdos,* significat *sacra docens.* Honorius Augustus *Præsbyter* significat, *præbens iter.* Unde D. Ambrosius: sacerdotes sunt *duces & rectores gregis Christi.* & S. Petrus: *Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 1. Petri 2. 9. officium quæstus, non pecuniarum, sed animarum. Ambros. in Cap. 1. Isaiæ.* Gentiles, suos sacerdotes adhibebant ad nulla negotia, præter Deorum; ideo nulli magistratus ipsis dabantur.

11. Unde gemens D. Gregorius de sacerdotio ait: nos deberemus quidem omnia linquere negotia, ipsius tantum Dei tractare; & *Dei causas relinquimus, & ad terrena negotia vacamus.* Moysi Jethro constituto ad Dei gloriam ut unice se applicet, exprobravit negotiis aliis se ingerenti: *Stultô labore consumeris; esto tu ad populum in his, quæ ad Deum pertinent. Exod. 18. 18.* Quid diceret Iethro, videns præsentes sacerdotes deditos negotiis sæculi, servos sæcularium, negotiatores matrimoniorum, mercatores mundi, ut verba sonant D. Prosper: *non ut meliores sint, sed ut ditiores fiant; non ut sanctiores, sed ut honoratiores sint. S. Prosper de vita Cont. c. 2.* O! quantus abusus! exclamat P. M. Avila, non cœlestia peragere, sed terrena. O! quanta miseria tales intueri sacerdotes, qui *non virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt. S. Gregorius Moral. lib. 3. c. 17. ad stipendia duntaxat oculos habent. S. Isid. Pelus Lib. 1. Ep. 142.*

Huic Capiti multa addi possent, ex sequenti Capite de officio Sacerdotis; sed ubi fusius.

CAPUT III.

Quæ Sanctitas requiritur in Sacerdote.

I.

ONus ingens Sacerdotis sequitur magnam dignitatem eiusdem. *S. Laur. Iust, de Instit: Præla. cap. 11. Magna dignitas, sed magnum pondus. In alto gradu positi, oportet quoque ut virtutum culmine sint electi; alioquin non ad meritum, sed ad proprium præsunt iudicium.* S. Petrus Chrysolog. dicit: *Sacerdotes honorati, dicam vero onerati;* reddere enim rationem pro multis debent. S. Hieronymus scribit: *Non dignitas, sed si opus dignitati convenit,* salvat.

2. Omnis Christianus perfectus & sanctus esse debet; singulorum enim professio, servire Deo. *Hoc enim est,* D. Leonis verba, *sermon. 24. de Passione, Christianum esse, nimirum, terreni hominis imagine depositâ, cælestem formam induere.* Quoniam Christus ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Mathæi 5. 48. Ast sanctitas alia sacerdotis omnino sit, necesse. *Nihil in sacerdote commune cum multitudine. S. Ambrosius, Ep. 6. ad Iren.* Etenim *vita sacerdotis præponderare debet, sicut præponderat gratia. Et tantum inter sacerdotem & quemlibet probum interesse debet, quantum inter cælum & terram, discriminis. S. Isid. l. 2. ep. 205. Quicumque* enim, doctrina D. Thomæ, *profitetur statum aliquem, tenetur ad ea, quæ illi statui conveniunt. Clericus duo professus est, sanctitatem & clericatum. S. Aug. ser. 83. de divers. Professio Clericorum est vita cælestis. Cassiodorus;* scribit Thomas à Kempis, quod: *sacerdos ad maiorem tenetur perfectionem.* Sublimior quidem status eius aliis. *Clericis suis Salvator, non ut cæteris voluntarium, sed imperativum officium perfectionis inducit. Salv. lib. 2. de Eccles. Cath:*

3. Antiqui sacerdotes, in fronte Tyaræ portarunt scriptum: *Sanctum Domini,* ut recordarentur sanctitatis, quam profiteri tenebantur. Victimæ oblatæ, integræ con-

summa-

ſummabantur igne; cur? exponit Theodoretus: *ut integritas ſacerdotis monſtraretur, qui totum ſe Deo dicaverit. Theodor. quæſt. 3. in Lev. Hoc eſt ſacrificium primitivum, quando unusquisque ſacerdos offert hoſtiam, & à ſe incipit, ut poſtea munus ſuum poſſit offerre. S. Amb. de Abel. c. 6. Sacerdos continuum debet eſſe perfectionis holocauſtum, ut incipiens à perfecta ſapientia in mane iuventutis, in eadem veſpere vitæ ſuæ finiat. Eſſechius.* Dixerat olim Deus ad ſacerdotes legis antiquæ; *ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei. Lev. 20. 26.* Magis ergo à cæteris ſacerdotibus novæ legis id exigit Chriſtus, ne implicent ſe negotiis ſæcularibus; iuxta illud: *2. Tim. 2. 4. Nemo militans Deo, implicet ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.* Et hinc Eccleſia voluit, ut vix pedem moventes ad ſanctuarium, voveant Deo ſe, ſuſcipientes primam tonſuram: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Ipſa *clamat veſtis clericalis, clamat ſtatus profeſſi ſanctitatem. Hieron: Ep. 58.* Non ſolum ſacerdos vitiis carere debet, ſed his iungere

gere perfectionem. *Iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. S. Bernard. Ep. 253. ad Abb. Guarin.*

4. *Curritur paſſim ad ſacros ordines ſine conſideratione*, conqueritur D. Bernardus. S. Ambroſius, *quæramus, quis poteſt dicere: Portio mea Dominus, & non divitiæ, libido, vanitas?* Joannes Evangeliſta: *Fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo. Apoc. 1. 6.* Explicant hæc verba interpretes, (Menochius, Gagneus, & Tirinus) Regnum dicentes, quod ſacerdotes ſint Regnum Dei: Deus enim regnat in hac vita in iis per gratiam, in futura per gloriam. *In quo* (ſacerdote) *Deus regnat per gratiam, poſtea per gloriam. Fecit nos reges, regnemus ergo cum Ipſo, imperemus vitiis. Neceſſe eſt, ut ſacerdos mortuus omnibus paſſionibus, vivat vitâ divina. S. Gregor. Paſtor. part. 1. c. 10.* Sacerdotium nobis datum idem eſt, quod Chriſtus à Patre receperat. *Et ego claritatem iſtam, quam dediſti mihi, dedi eis. Ioan. 17. 22. Neceſſe eſt* ergo concludit D. Chryſoſtomus, *ſacerdotem*, qui repræſentat Chriſtum, *ſic eſſe purum, ut in cœlis*

cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes, medius staret.

5. Vult D. Apostolus Paulus, sacerdotem esse absque nota. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. 1. Tim. 3. 2.* Et quod de Episcopis dicit, intelligendum de sacerdotibus; transit enim ab Episcopis ad Diaconos; *Diaconos similiter pudicos* &c. *ibid. v. 8.* Sub nomine etenim Episcoporum, complectuntur sacerdotes, ut exponunt D D. Augustinus & Chrysostomus. *Quod de Episcopis dixit, etiam sacerdotibus congruit.* Verbum irreprehensibilem omnem vult virtutem. *Omnes virtutes comprehendit. Hier: Ep. 83.* Cornelius à lapide super hoc verbum scribit: *Qui non tantum vitiô careat, sed qui omnibûs virtutibûs sit ornatus.*

6. Per undecim sæcula, exclusus à Clericatu fuit omnis, qui post Baptismum, commisit vel unicum peccatum mortale. Ita sonant concilia: Nicænum *Can: 10.* Toletanum *Can. 30.* Eliberitanum *Can. 76.* Carthaginense IV. *Can. 68.* Qui ordinatus commiserit peccatum, in perpetuum depositus, monasterio includebatur. Vide *dis. 88.*

dis. 88. Can. 3. ad 13. In Canone 6. huius apponitur ratio: *Qui sancti non sunt, sancta tractare non debent. Non nisi quod irreprehensibile est, sancta defendit Ecclesia.* Et in *Canon: 44.* Concilii Carthaginensis: *Clerici, quibus pars dominus est, à sæculi societate segregati vivant.* Et Concilium Tridentinum *Sess. 22. Cap. 1. de Ref. Decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque componere; ut habitu, gestu, sermone, aliisque rebus, nisi grave, ac religione plenum, præ se ferant.* Dicit S. Chrysostomus: *Sacerdos vitam debet habere immaculatam, ut omnes in illum, veluti in aliquod exemplar excellens intueantur. Idcirco enim nos elegit, ut simus quasi luminaria & magistri cæterorum, ac veluti Angeli versemur in terris. Chrysost: Hom: 10. in Tim. 3.* Clerici nomen, quod significet portio Dei, docet S. Hieronymus & Augustinus. *Clericus primo interpretetur vocabulum suum, & nitatur esse, quod dicitur in Ps. 66. Cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum. S. Ambr. Lib. 2. de fuga sæcul. cap. 2.*

7. Sacerdos minister Dei, ad duo constitutus, ad honorandum Deum per sacrificium,

ficium, & ad salvandas animas fidelium. *Omnis namque Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum. Hab. 5. 1.* supra quæ verba, scribit D. Thomas: *Omnis Pontifex constituitur in iis, quæ sunt ad Deum; non propter gloriam, non propter divitias.* Omnis Sacerdos in mundo, non constituitur ad congregandas opes, comparandam famam nominis sui, ampliandam Domum Parentum, recreandum & curandum cuticulam suam, sed solum hoc unice fore contentum Deo. *Constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Ideoque scriptura nuntiat, quod sacerdos sit *homo Dei 1. Tim 6. 1.* Homo, qui non mundi, non parentum, non suus, sed Dei, quærens tantum Deum, *est generatio quærentium Eum. Psal. 23 6.* Et ut Angeli in cœlis destinati sunt, ut laudent Deum, ita in terris sacerdotes, ut procurent gloriam eius. Et ea propter dictum est: *Separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei. Lev. 20. 26. Idcirco nos ille elegit, ut veluti angeli, versemur cum hominibus in terris. Chrysost: Hom: 10. in C. 1. Tim.* Ipsemet ait Deus: *Sanctificabor in iis, qui appropin-*

propinquant mihi. Levi: 10. 3. Subiungit interpres: *id est agnoscor sanctus, ex sanctitate ministrorum.*

8. Maior longe sanctitas requiritur à sacerdotibus, quam à Religiosis personis, docet D. Thomas *2. 2. qu: 184. art. 8 Quia per sacrum ordinem deputatur quis, ad dignissima ministeria, quibus Ipsi Christo servitur in sacramento altaris; ad quod requiritur maior sanctitas interior, quam requirat etiam Religionis status. Unde gravius peccat,* addit Angelicus, *cæteris paribus Clericus in sacris ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis Religiosus, qui non habet ordinem sacrum.* Celebris sententia D. Augustini: *vix bonus monachus, bonum clericum facit.* Nullus ergo Clericus bonus, qui non superat bonitate monachum.

9. Scribit S. Ambrosius, quod *verus minister altaris, Deo non sibi natus est.* An ergo sacerdos curare debeat sua commoda, recreationes, num vero, quod unice ipsius est, negotia Dei? intellige. Omnem curam Dominus adhibuit, ad nitidum purumque reddendum sacerdotem. *Et sede-*

bit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Malach. 3. 3. In Levitico, *21. 6 Sancti erunt Deo suo, & non pollûent nomen eius, incensum enim Domini, & panes Deo suo offerunt, & ideo sancti erunt.* Si ergo sacerdotes veteris Testamenti, offerentes incensum, & panes propositionis, debebant esse sancti, multo magis sacerdotes novæ legis, offerentes in altari Deo agnum immaculatum, solum Ipsius filium? Dicit Estius, non offerimus vitulos, incensum, *sed ipsum Corpus Domini, quod in ara Crucis pependit. Adeoque sanctitas requiritur, quæ sita est in puritate animi; sine qua quisquis accedit, immundus accedit. Quocirca* dicit Bellarminus, *væ miseris nobis, qui ministerium altissimum sortiti, tam procul absumus à fervore, quem Deus in umbraticis sacerdotibus exigebat! in Psal: 1. 31.*

10. Dominus exigebat à portantibus vasa sacra, munditiem: *mundamini qui fertis vasa Domini. Isaiæ 42. 11. Quanto mundiores esse oportet, qui in manibus & corpore portant Christum. Petr. Blés. ep. 123. ad Rich.*

Rich. S. Augustinus: *Oportet mundum esse, qui non solum vasa aurea debet tractare, sed etiam illa, in quibus mors Domini exercetur.* Si BB. Virgo, debuerat esse plena sanctitatis, semel portans Christum: *Quo ergo solari radio, non splendidiorem oportet esse manum, carnem hunc dividentem; os quod igne spirituali repletur; linguam, quæ tremendo sanguine nimis erubescit? S. Joannes Chr. Hom: 6. ad pop. Ant:* Personam Christi gerit in sacrificio altaris. *Accedat* ergo *ut Christus, ministret ut sanctus.* S. Laur. Just: iniunxerat quidam Confessarius, monacæ sæpius ad cummunionem accedenti, perfectionem maiorem quotidiana: & sacerdoti, quolibet mane sumenti, nonne iniungenda?

11. *Necessarium fatemur* (Concilii Tridentini verba, *Sess. 22. decret: de observ. &c.*] *nullum aliud opus, adeo sanctum & divinum tractari posse, quam hoc tremendum mysterium. Satis* enim *apparet, omnem operam in eo esse ponendam, ut quanta maxime fieri potest, interiori munditia cordis, peragatur. O! quam horrendum visu & auditu, quod lingua, quæ vocat de cœlo filium Dei, contra*

 Deum

Deum loquitur! & *manus, quæ intinguntur ſangvine Chriſti, polluuntur ſangvine peccati? S. Aug. apud Molin. Inſtr. Sac.*

12. Si Deus exegerat tantam ſanctitatem, in offerentibus victimas animalium, & panes propoſitionis, ut abſque puritate offerentes potius non offerrent: *Qui habuerit maculam, non offerat panes Deo ſuo. Lev. 21. 17. Si tanta ſanctitas,* inquam, *requirebatur in ſacerdotibus, qui ſacrificabant boves & oves; quid quæſo requiritur in ſacerdotibus, qui ſanctificant divinum agnum? Bellar. in Pſal: 10. v. 9.* Per vocem *macula*, intelligit D. Thomas omne vitium: *Qui eſt vitio aliquo irretitus, non debet ad miniſterium ordinis admitti. Supl. qu: 36. a. 1.* In veteri lege, à ſacrificiis faciendis arcebantur, cæci, gibboſi & ſcabie infecti. *Nec accedat ad miniſtrum eius, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi gibbus, ſi habens iugem ſcabiem; Lev. 21. 18.* Defectus hos Patres moraliter ſumunt, dicentes: indignus eſt *cæcus*, id eſt: claudens oculos, lumini & luci Divinæ. Indignus *claudus*, piger & non progrediens in via Dei, vivensque in iisdem defectibus, abſque oratione, abſque examine & conſideratione. Indignus *gibbus*, addictus terrenis bonis, vanæ gloriæ, honoribus & ſolatiis mundi. Indignus *ſcabioſus*, ſcilicet voluptuoſus, qui ſenſualitati ſe totum immerſit. *Sus lota in volutabro luti 2. Petr: 2. 22.* Indignus verbo, qui non eſt ſanctus, quoniam contaminat ſanctuarium Dei. *Nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet ſanctuarium meum. Lev: 21. 23.*

13. Sacerdos quod officium, ſanctus ſit neceſſe: *oportet ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, Tit. 1. 3.* ut mediator intra Deum & peccatores. *Medius ſtat Sacerdos,* dicit S. Chryſoſtomus, *inter Deum & naturam humanam; illinc beneficia ad nos deferens, & noſtras petitiones illi proferens, dominum iratum reconcilians, & nos eripiens ex illius manibus. Chryſ. Hom: 5. in Iſai.* Per ſacerdotes, Deus communicat ſuas gratias fidelibus, in ſacramentis. Ut ſint filii Dei per Baptiſmum, & ſalvi. *Niſi quis, renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei. Joan: 3. 3.* Ut ſanitatem recipiant infirmi, reſuſcitentur mortui à peccatis, per gratiam Dei in ſacramento Pœnitentiæ.

Ut conserventur animæ in vita gratiæ, sustinent per Sacramentum Eucharistiæ: *Nisi manducaveritis carnem meam, . . non habebitis vitam in vobis. Ioan: 6. 54.* Ut iuvet moribundos contra tentationes inferni, habet extremam unctionem. Verbo, *sine sacerdotibus his salutis compotes fieri non possumus. Chrysost. L. 3. de Sac; c. 4.* S. Prosper appellat sacerdotes, *divinæ voluntatis iudices.* S. Chrysostomus: *muros Ecclesiæ.* S. Ambrosius: *castra sanctitatis.* S. Gregorius Nazianzenus: *mundi fundamenta & fidei columnas.* Quocirca D. Hieronymus ait: *Sacerdos onus totius orbis portat, humeris sanctitatis.* Ah quam horrendum tremendumque onus! *orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius coram Domino, & dimittetur peccatum. Levit: 19. 22.* Et ea propter, imponit Ecclesia sacerdotibus munus, recitandi Horas Canonicas, absolvendique pluries missæ sacrificium. Unde D. Ambrosius; *Sacerdotes die ac nocte pro plebe sibi commissa oportet orare.*

14. Ut obtineat sacerdos gratias aliis, necesse est ut sit sanctus. Scribit Angelicus: *Qui sunt medii inter Deum & plebem,*

debent

debent bona conscientia nitere, quoad Deum; & bona fama quoad homines. Sup. qu: 36. Art. 1. ad 2. Summa enim foret temeritas, intercessoris apud principem, qui peteret condonari culpam, cuius ipsemet intercessor particeps foret, rebellionis. *Quantæ hoc audaciæ est, quod apud Deum locum intercessoris obtineo, cui familiarem me esse per vitæ meritum non agnosco. S. Gregor. Pastor: part. 2.* Qni intercedit, vacuus debet esse culpa; Etenim, *cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Idem S.* Et Augustinus: *Talem sacerdotem esse Domini oportet, ut quod populus pro se non valet apud Dominum, ipse sacerdos mereatur impetrare.* Papa Hormisda *Can. non negamus. dist. 16.* dicit: *Sanctiorem esse convenit toto populo, quem necesse est orare pro populo.* Flens conqueritur D. Bernardus; *Ecce mundus sacerdotibus plenus est, & rarus invenitur mediator!* quia pauci sancti sacerdotes, ut digni sint mediatores. S. Augustinus loquitur de malis Ecclesiasticis. *Plus placet Deo latratus canum, quam oratio talium Clericorum.* Narrat P. Marchesius, in Diario

Domini-

Dominicano, quandam ſanctam poſtulaſſe Deum, ut dimitteret peccata per merita ſacerdotum; reſponſum accepiſſe: quod ii magis Deum irritant, quam placant.

15. Sacerdotes debent eſſe ſancti, ſunt enim in mundo, ut exemplaria virtutum. Dicuntur à DD. Chryſoſtomo: *Doctores pietatis.* Proſpero: *Ianuæ populi civitatis Dei.* Hieronymo: *Salvatores mundi.* Petro Chryſologo: *Formæ virtutum.* Unde Iſidorus ſcribit: *Qui in erudiendis ad virtutem populis præerit, neceſſe eſt, ut ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis.* Papa Hormiſda: *Irreprehenſibiles eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis. Ep. 25.* Et hinc D. Dionyſii excellens ſententia: *In divino omni, non eſt audendum aliis ducem fieri, niſi ſecundum omnem habitum ſuum factus ſit deiformiſſimus, & Deo ſimillimus. Eccleſ. Hier. cap. 3.* Nulſus fructus ex prædicatione mali ſacerdotis. *Cuius enim vita deſpicitur, reſtat, ut prædicatio contemnatur. S. Gregorius Hom. 12. in Evang. & eadem ratione,* (contemnuntur) *omnia ſpiritualia ab eis exhibita. S. Thomas.* Gregorius Nazianzenus: *Sacerdotem purgari prius oportet, deinde purgare: ad*

re: ad Deum *appropinquari, & alios abducere: ſanctificari, & poſtea ſanctificare; lucem fieri, et alios illuminare.*

16. *Oportet munda ſit manus, quæ aliorum ſordes diluere curat. Vide Paſtor: Greg. part. 1. c. 9.* Et in alio loco: *qui non ardet, non accendit.* Unde Bernardus: *Lingva amoris, ei qui non amat, barbara eſt et peregrina.* Sacerdotes *ſpectaculum facti ſumus mundo et Angelis. 1. Cori. 4. 9. In nos* enim, *tanquam in ſpeculum, reliqui omnes oculos conilciunt, ex nobiſque ſumunt quod imitentur. Concil. Trid. Seſſ. 22. cap. 1. De medio populi ſegregantur* ſacerdotes, *ut ſeipſos et populum tueantur; ad hanc autem tuitionem, clericalis non ſufficit dignitatis prærogativa, niſi dignitati adiungatur cumulus ſanctitatis.* dixit Philippus Abbas.

17. Singula hæc conſiderans Angelicus Doctor, ait, *ad idoneam executionem ordinum, non ſufficit bonitas qualiſcumque, ſed requiritur bonitas excellens. Sup. q. 35. a. 1. ad 3.* Et alibi: *Illi qui in divinis miniſteriis applicantur, perfecti in virtute eſſe debent. In 4. ſent. diſtin: 24. qu: 3. art: 1.* Et alio adhuc in loco: *Interior perfectio ad hoc requiritur,*

quod

quod aliquis digne huiusmodi actus exerceat 2. 2. qu: 184. ar. 6. Sacerdotes ſancti debent eſſe, ne loco honoris faciendi Deo, Eum contumeliis afficiant. *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen Eius. Lev. 21. 6.* Si miniſtrum cuius Monarchæ, viderent euntem publice, & audientem blasphemari nomen Regis non corripuiſſe discolos, imo illis ſe immiſcentem; quidnam reſciens ageret Princeps cum hocce miniſtro? ſacerdotes ecce mali, dishonorant Chriſtum, Cuius ſunt in miniſterio. Dicerent de his Gentiles; *qualis eſt Deus eorum, qui talia agunt? numquid ſuſtineret eos talia facientes, niſi conſentiret operibus eorum? Joan. Chrys.* Judæi, Chinenſes, Indi, mala quæque & nefanda videntes peragentem ſacerdotem, dicerent: Quomodo poſſumus credere, quod Deus tam malorum ſacerdotum ſit, cum eos non puniat, vitiaque eorum impune patiatur?

18. Non alia de cauſa exhortabatur Paulus: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros. 2. cor. 6. 4.* Faciamus cognoſcere eum, per veros nos miniſtros Dei, *in multa patientia,* in ſufferendis infirmi-

firmitatibus, perſecutionibus, *in vigiliis, in jejuniis,* per quæ expectatur gloria æterna; in mortificatione, *in caſtitate, in ſcientia, in ſuavitate, in caritate, non ficta,* iuvandarum animarum, *quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes,* ne placeamus mundo, & habeamus pacem in gaudio; *tanquam nihil habentes, et omnia poſſidentes,* pauperes, quoad bona terræ, divites, quoad cœleſtia; qui enim poſſidet Deum, omnia habet. Tales decet omnino eſſe ſacerdotes, quoniam miniſtri Dei ſancti. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum Lev. 11. 44.* Prompti debent eſſe, ad ponendam vitam pro animabus, ut miniſtri Jeſu Chriſti, qui poſuit animam pro ovibus; ut dictum à Jeſu: *Ego ſum Paſtor, bonus Paſtor, dat animam ſuam pro ovibus ſuis. Joan. 10. 11.* Totos nos denique impendamus, ut accendamus ignem in cordibus hominum. Ut Ipſemet Salvator ait: ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? Lucæ 12. 49. 19. David Rex orabat Deum: *Sacerdotes Tui induantur iuſtitiam. Pſal. 131. 9.* Iuſtitia, omnes comprehendit virtutes. Sacerdos igitur veſtiatur Fide; vitam ducendo

cendo maximis fidei, non mundi. Mundi ſunt: oportet curare veſtitum & argentum; oportet nominis ſui prorogare famam, & familiæ; oportet commoda habere, invenire & amplecti, vitæ. Fidei autem contraria: Beatus qui pauper; oportet ſuſtinere opprobria, abnegare ſemetipſum, amare pati, veſtiri cum fiducia, non in creaturis, ſed in Deo ſpem ponendo; humilem eſſe, dignumque exhibere ſe omni contemptu; uti manſuetudine; ſervare dulcedinem, præcipue cum iratis & rudibus; habere charitatem Dei & proximi; Dei, unitum eſſe Ei, procurando per orationes ferventes; cor enim continuo amore ardere debet. Proximi, ad effectum ducendo, quod ait Apoſtolus: *Induite vos ſicut electi, ſancti et dilecti, viſcera miſericordiæ. Col. 3. 12.* Procurare & ſubvenire, in omnibus ſpiritualibus & corporalibus quantum poteſt, omnibus, ſcilicet etiam ingratis & perſecutoribus.

20. Dicit Auguſtinus: *Nihil in hac vita felicius, et hominibus acceptabilius, officio ſacerdotis: ſed nihil apud Deum laborioſius et periculoſius. Ep. 12. alias 148.* Magnus honor,

nor, magnaque felicitas hominis, quod ſit ſacerdos, habens poteſtatem iubendi deſcendere verbum incarnatum in terram, liberandi animam à peccato; magnus inquam honor; nam eſt Vicarius Chriſti; lux mundi; mediator inter Deum & hominem; nobilior Monarchis terræ; potentior Angelis; verbo Deus in terra, ut vocat S. Clemens. *Nihil felicius*, ſed contra, *nihil laborioſius et periculoſius.* Si ergo in manus deſcendit ſacerdotis Chriſtus, ſacerdos purior eſſe debet aqua, ut monſtratum eſt D. Franciſco. Si eſt mediator inter Deum & homines, nihil ergo habere debet, quod culpabilem eum reddat, coram Domino. Si eſt lux mundi luceat ergo omni virtute coram Domino. Verbo, ſacerdos ſanctus ſit neceſſe. Si igitur non correſpondet ſtatui ſuo, culpabilis & pœna dignus. *Cum enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. S. Greg. Hom. 9. in Evang.* S. Bernardus ſcribit: *Sacerdos tenet cæleſte officium, Angelus Domini factus eſt, nam tanquam Angelus, aut eligitur, aut reprobatur. S. Bernard: declam: in verba. Ecce nos etc. non mediocris eſſe debet*

bet virtus ſacerdotalis, cui cavendum, non modo ne gravioribus flagitiis ſit affinis, ſed ne minimis quidem. S. Ambr. Lib. 3. Epiſt: 25.

21. Qui ergo ſacerdos, non ſanctitatem curat, in magno periculo eſt damnationis. *Nonnulli ſacerdotes, dicam verius omnes, quid præſtant, ut ſint ſancti?* officium perlegunt, miſſam percurrunt, & nihil plus; ſine oratione, ſine mortificatione, ſine omni conſideratione vitam ducunt. Dicunt hi: ſufficit, ut me ſalvem. Non certe, non, ait Auguſtinus: *Ubi dixiſti ſufficit, ibi periiſti. Aug: Serm: 169.* Sacerdos ut ſit ſanctus, omnia reiiciat à ſe, converſationem mundi, honores vanos &c. præcipue amorem inordinatum ſuorum; ut hi videntes non deditum ſibi, interrogent: *Quid facis nobis ſic?* reſpondeant cum infante Jeſu, invento in Eccleſia: *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Lucæ 2.* Sacerdotem feciſtis me; num ignoratis, quod Deo ſoli, & honori Eius vivere debeam? Deo meo ſoli, vivo & ſervio.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

De gravitate & pœna peccati Sacerdotis.

I.

CUm videns lucem peccat ſacerdos, ejus peccatum eſt graviſſimum. Si enim iuxta D. Thomam: *2. 2. qu: 10. ar. 3.* peccatum fidelis, gravius eſt peccato infidelis, *propter notitiam veritatis*; ſacerdotis, maiorem lucem habentis, maius peccatum. Sacerdos inſtructus ut alios doceat. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore Eius. Malach: 2. 7.* Nulla etenim excuſatio per ignorantiam, quit ab eo dari. *Scienti legem, & non facienti, peccatum eſt grande.* Miſeri ſæculares peccant, ſed peccant in tenebris mundi, alieni à ſacramentis, vix inſtructi in ſpiritu, occupati negotiis ſæculi, craſſe norunt & in genere Deum, parum ſciunt quid faciunt. *Sagittant in obſcuro*, ut inquit Da-

D vid.

vid. Sacerdotes autem in luce manent, imo lumen ſunt ipſi. *Vox eſtis lux mundi. Matth. 5. 14.* Inſtruuntur ex libris, quos legunt; ex ſermonibus ſacris, pro quibus ſe parant; ex tot admonitionibus per ſuperiores; verbo: plene informati de myſteriis Dei. *Vobis datum eſt, noſſe myſteria Dei. Lucæ 8. 10.* Intelligunt bene, quantum ſit meriti ſervire Deo, quantæ ſit malitiæ peccatum mortale, quod hoc ſit inimicum Deo, & ſi poſſet Deus redigi in nihilum, peccatum redigeret Eum. *Peccatum eſt deſtructivum divinæ bonitatis. S. Bernardus.* Et alibi: *Peccatum, quantum in ſe eſt, Deum perimit. Peccator, quantum ad voluntatem, occidit Deum. S. Joan. Chryſ: Peccatum,* ſcribit P. Medina, *mortale, ſi poſſibile eſſet, deſtrueret ipſum Deum, eo quod cauſa eſſet in Deo triſtitiæ infinitæ.* Probe hæc omnia intelligit Sacerdos & videt, & quo melius videt, eo gravius peccat. S. Gregorius.

2. Quodlibet peccatum ſacerdotis, eſt peccatum malitiæ, ſimile Angelis peccantibus penes lucem. *Angelus Domini factus eſt,* D. Bernard. de Sacerd. *Peccans in Clero, peccat in cælo.* Peccat ad lucem, unde pecca-

peccatum eius eſt malitiæ, quia absque ignorantia peccat; non eſt peccatum eius ex debilitate, quia ſcit media, quibus fortis reddi poteſt, ſi voluerit, ſed cum non vult, culpa eius eſt ingens. *Noluit intelligere ut bene ageret. Job. 35. 4.* Peccatum malitiæ, docet S. Thomas *1. 2. qu. art: 1.* eſt quod *ſcienter eligitur;* Et *omne peccatum ex malitia, eſt contra Spiritum Sanctum. de Mal. qu: 5. art: 4.* Ex Mathæo autem ſcimus, quod peccatum contra Spiritum Sanctum, *non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Math. 12. 32.* Scilicet, diffi cillime dimittitur peccatum, quia conſulta obcæcatione committitur.

3. Orabat de Cruce Chriſtus, pro perſecutoribus, dicens: *Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Lucæ 23. 24.* Sed pro ſacerdotibus, non valet hæc oratio, ſciunt enim quid faciunt; plorat Ieremias: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Thren: 4. 1.* Hoc aurum obſcuratum, dicit Hugo Cardinalis eſt *ſacerdos peccator,* qui reſplendere debet amore Divino, ſed peccans niger fit, & horribilis inferno ipſi. *Nulla re magis Deus offenditur,*

ditur, quam quando peccatores Sacerdotii dignitate præfulgeant. Chryſ: Hom: 41. in Math. Creſcit malitia peccati ſacerdotis, ex ingratitudine quam committit adverſus Deum, qui eum tam alte exaltavit. Doctrina D. Thomæ 2. 2. *qu.* 74. *ar:* 10. Peccatum igitur tanto gravius, quanto profundior ingratitudo. Nos ſoli, *naturaliter magis indignamur his, qui nobis familiariſſimi ſunt, cum in nos peccaverint. S. Baſil: ap. Gloſſam, in* 1. *Petr:* 4. Sacerdotes vocantur à D. Cyrillo familiariſſimi Dei, intimi familiares. *Enumera honores et dignitates; omnium apex eſt ſacerdos. S. Ephrem.* Sunt enim vicarii Chriſti, ſanctificatores animarum, *diſpenſatores Regiæ domus. S. Proſper.* Sacerdos electus ex omnibus hominibus. *Ipſum elegit ab omni vivente, offerente ſacrificium. Eccl:* 45. 20. Data eſt ei poteſtas, ſuper Corpus Ieſu Chriſti, datæ ad manus claves Paradyſi; elevatus ſuper Reges terræ, ipſosque Angelos cœli; verbo: Deus factus terræ. *Quid debui ultra,* de ſacerdotibus loquitur Chriſtus, *facere vineæ meæ et non feci? Iſaiæ* 5. 4. Ah! quanta ingratitudo, videre tam adamatum ſacerdotem, & offen-

& offendere Deum ſuum. *Quid eſt, quod dilectus meus, in domo mea, fecit ſcelera multa? Ierem:* 11. 15. Deflet hoc grande piaculum D. Gregorius: *Heu! Domine Deus! quia ipſi ſacerdotes ſunt in perſecutione Tua primi; qui videntur in Eccleſia Tua regere principatum!*

4. Nimirum conqueritur de malis ſacerdotibus Ieſus, invocans cœlum & terram, ut audiant: *Audite cœli, et auribus percipe terra; filios enutrivi et axaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Iſaiæ* 1. 2. Et qui hi ſunt filii, nonne ſacerdotes ad tantam evecti dignitatem, enutriti corpore Chriſti, & in peccatis ſe volutantes, contemnentes amorem Dei & gratiam? lamentatur Deus per os Davidis: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Pſalm:* 54. 14. Si inimicus, ſi idololatra, ſi hæreticus, ſi mundi cultor, feciſſet mihi hoc, ſuſtinuiſſem; ſed amicus meus conmeſſalis. *Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. Ibid. v.* 14. Et apud Hieremiam; *Qui veſcebantur voluptuoſe, et nutriebantur in croceis, amplexati*

 ſunt

Sunt stercora. Thr: 4. 5. Quanta miseria, quantus horror cadat in sacerdotem necesse est, dicente Propheta hæc, qui cibo enutriti dulcissimo, vestiti purpura; verba enim textus Hæbraicus *in Croceis* explicat: *qui in purpura educati fuerunt* (nimirum sacerdotes, vestiti purpura Regiæ dignitatis. *Vos genus electum, Regale sacerdotium 1. Petri 2. 9.*) & volutari malunt in luti sorditie.

5. Ast videamus pœnam in sacerdotem, pro gravitate peccati eius. *Pro mensura peccati, erit plagarum modus. Deut: 25. 2. Si privatim pecces, nihil tale passurus es, si in sacerdotio pecces, periisti. S. Chrys. Hom: 3. in Act: Apost.* Re ipsa terribiles minæ prolatæ sunt à Domino per Ieremiam Prophetam in sacerdotes. *Propheta namque et sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni mala eorum, ait dominus. Idcirco via eorum, erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim et corruent in ea. Ier. 23. 11. et 12.* Quæ spes vitæ tuæ, ambulantis per præcipitia, dum via plena fovearum & luce careas, & impellaris in præceps? ô infelix

infelix status sacerdotis, committentis peccatum mortale!

6. *Lubricum in tenebris.* Sacerdos perdens lucem efficitur cæcus, *melius erat illis*, dicit S. Petrus, *non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti. 2. Petri 2. 21.* Melius sacerdoti erat, si esset pauper villanus ignorans, quam post tot cognitiones, post tot lectos libros, post tot orationes Sacros, post tot Directores sui in Spiritu, post tot illuminationes receptas à Deo, peccaret, gratias supremi Numinis conculcaret; luce tanta sibi data abuteretur, &fieret cæcus, periretque super ruinam sui. *Maior scientia, maioris pœnæ fit materia S. Chrys: Hom. 7. in Math: Propterea sacerdos, eadem cum subditis peccata committens, non eadem, sed multo acerbiora patietur. Idem.* Pœna gravi puniet eos Dominus, adhuc vitam ducentes. *Ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Lucæ 8. 10.*

7. Experientia docet, idem S. Chrysostomus ait, quod *sæcularis homo, facile post peccatum ad pœnitentiam venit.* Sæcularis homo, postquam peccaverit, audivit sermonem sacrum, fuit in missionibus, ut aiunt, auscultavit de malitia peccati, de certi-

certitudine mortis futuræ, de severitate iudicii, de inferno, de pœnis inferni, facillimeque revertitur ad Deum, *quia*, ut dicit Sanctus, *quasi novum aliquid audiens, expavescit.* Sacerdos vero, conculcans gratias Dei & lumen sibi concessum, nihil movetur, *omnia enim, quæ sunt in scripturis*, prosequitur D. Doctor Hom: 40. cap. 21. Mathæ. *ante oculos eius inveterata, vilia æstimantur; nam quidquid sibi terribile est, usu vilescit.* Et concludit: *nihil autem impossibilius, quam illum corrigere, qui omnia scit.*

8. *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina si peccant. S. Hier. lib. 14. in C. 44. Ezech:* Et quantum magis altior dignitas, tantum gravius præcipitium. *Ab altiori, fit casus gravior. S. Bernardus. Et ut levius est, de plano corruere, sic gravius, qui de sublimi ceciderit dignitate; quia ruina quæ de alto est, graviori casu colliditur. S. Ambros: de dignit. sac: vid. cap. 3. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Hier: loc: cit.* De sacerdote nimirum dicit Dominus per Ezech: *Posui te in monte sancto Dei, & peccasti; et eieci te de monte Dei, & perdidi.*

perdidi. Ezech: 28. 14. et sequ: Vos estis lux mundi; non potest civitas abscondi super montem posita. Mathæi 5. 14. Vnde cum ratione, disserit S. Laur: Iustin. *Quo gratia est cumulatior, et status sublimior, eo casus gravior, et damnabilior culpa. Et* Petrus Blesensis: *altius mergitur, qui de alto cadit.* Mi sacerdos, elevavit te Deus ad tuum statum sublimem; fecit te, de homine terreno cœlestem; & dum peccas, de cœlo cadis. Considera ergo, quam præceps tuus casus. *Quid altius cœlo? de cœlo cadit, in cœlestibus qui delinquit. S. Petrus Chrysol. Serm: 26. Tanquam fulgur in impetu, vehementer deiiceris*, o! Sacerdos! Dicendum igitur, quod tuus casus irreparabilis. *Corruent in ea.* Et *ut Capharnaum, ad cœlum usque exaltata, usque ad infernum demergeris. Lucæ 10. 15.*

9. Justissime promeretur sacerdos hanc pœnam peccans, ut ingratitudinis reus. Gratior sit necesse, ob beneficia, quibus à Deo cumulatur. *Cum augentur dona, augentur etiam rationes donorum. S. Greg. Hom. 9. in Evangel. Ingratus meretur beneficii subtractionem, dicit quidam.* Et Iesus: *omnia habenti*

benti dabitur, et abundabit; et ei, qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo. Math: 25. 29. Qui gratus Deo, abundantius gratiis cumulabitur; sed sacerdos, post tot luminis radios, post tot communiones factas, qui avertit dorsum, contemnit favores receptos, gratias acceptas respuit, iuste privatur his omnibus. Dominus Omnipotens, liberalissimus est in omnes, præter ingratos. *Ingratitudo, exsiccat fontem divinæ pietatis. S. Bern:*

10. Vnde oritur, quod dicit D. Hieronymus Epist: ad Dam. *Nulla certe in mundo tam crudelis bestia, quam malus sacerdos, nam corrigi se non patitur.* Et Ioan. Chrys. sive auctor imperf operis. Homil. 43. in Math. *Laici delinquentes, facile emendantur; Clerici, si mali fuerint, inemendabiles sunt.* De sacerdotibus intelligitur, quod Petrus Damiani directe iis servire ait, illud Apostoli: *Impossibile enim eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, . . . et participes facti sunt Spiritus Sancti etc. et prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam. Hebr: 6. 4. Petr: Dam: lib. 4. Ep. 14. Sacerdos angelus Domini factus est; tanquam*

tanquam angelus, aut reprobatur, aut eligitur. S. Bernar. in verba: Ecce nos. Revelavit Deus Sanctæ Brigittæ: *Ego conspicio Paganos & Judæos, sed video, nullos deteriores, quam Sacerdotes; sunt ipsi in eodem peccato, quo cecidit Lucifer.* Manifestum est dictum Innocentii III. *Multa sunt Laicis venialia, quæ Clericis sunt mortalia. Serm. 1. in Cons. Pontif.*

11. Ad sacerdotes spectat dictum D. Pauli alio in loco: *Terra enim venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinai & tribulos, reproba est & maledicto proxima; cuius consummatio in combustionem, Heb. 6. 7.* O! quantus imber gratiarum receptarum à Deo, sacerdotis; & cum nullum fructum faciat, profert tribulos & spinas. O! miseri sacerdotes, loco meriti etiam recipient reprobationem; maledictus homo qui facit, tantis à Domino bonis receptis, infernum accendit. Sed nec ullus horror iam sacerdoti, vertenti dorsum Deo; sacerdotes enim, qui peccant, amittunt lucem, & perdunt timorem Dei, ut dictum supra. *Et nunc ad vos Sacerdotes,* verba Domini (Malach 1. 6.) *hui despicitis nomen meum. Si ego Dominus, ubi*

ubi est timor meus? Sacerdotes, dicit D. Bernardus; *alto quippe demersi somno oblivionis, ad nullum comminationis Dominicæ tonitru expergiscuntur, ut suum periculum expavescant. Serm: 77. in Cant.*

12. O! quam grande Chaos, dum sacerdos ad lucem & cum luce contemnit omnia. De eo dicit sapiens: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov: 18. 3. Impius.* Scilicet sacerdos peccans ex malitia; *altius mergitur* in profundum cadens tenebrarum & miseriam peccati, factus cæcus. *Contemnit* admonitiones, præsentiam Jesu Christi, cui proximus in altari, non erubescit fieri, peior Juda Iscariote, ut dictum Divæ Brigittæ: *Tales sacerdotes, non sunt mei sacerdotes, sed veri proditores. Rev. l. 1. c. 45. Proditores,* celebrant enim missam, ad maiorem proditionem & iniuriam Christi, sacrilege offerentes. Eritne infelix horum sacerdotum finis? Certe. *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini. Isaiæ 26. 10.* Finis eius, *derelictio Dei & infernum.* Sed mi Pater, dicet quis hæc legens, tu non emendare tuis dictis, sed desperare facies?

facies? Respondeo cum Augustino: *Territus terreo.* Ad hæc, sacerdos quispiam exclamabit: Cum Deum meum, in sacerdotio existens offenderim, non ergo mihi spes ulla? Non certe, non, est & spes si te emendaveris. Sed illico confugiendum tibi est, ad Deum, vita corrigenda, Deus audiendus. *Audiamus* enim *illum,* idem sanctus habet, *dum rogat, ne nos non audiat, dum iudicat.* Sciamus, o sacerdotes, æstimare nostram nobilitatem, dum omnino debemus, & cum simus ministri Dei, pudeat nos, esse ministros & mancipia diaboli. *Nobilem necesse est esse sacerdotem, ut qui minister est Domini, erubescat servus esse peccati. Petr. Dam.*

13. Non simus, ut sæculares, de præsenti solum cogitantes. Cogitemus, quod *statutum sit semel mori, & post hoc iudicium. Hebr: 9. 27. omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit. 2. Cor: 5. Redde rationem villicationis tuæ. Lucæ 16.* Redde rationem sacerdotii, quomodo illud gessisti? mi sacerdos, dicere posses: *Cum interrogaverit, quid respondebo illi? Job. 31.*

Inci-

Incipiens punire Deus gentem quam, inchoat à ſacerdotibus; illi enim, non cohibuerunt populum à malo. *Tempus eſt, ut incipiat iudicium à Domo Dei. 1. Petr. 4. 17. A ſanctuario meo incipite. Ezech: c. 9. v. 6.* Quod Origenes explicat: *id eſt à ſacerdotibus. Tract. 7. in Matthæum Judicium his duriſſimum fiet, qui præſunt. Sap. 6. v. 6. Omni, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Lucæ 12. 48.* Auctor imperf. operis *Hom. 40. in Math: Laicus in die iudicii, ſtolam ſacerdotalem accipiet; ſacerdos autem peccator, ſpoliabitur ſacerdotii dignitate, & erit inter infideles & hypocritas. Audite hæc ſacerdotes, quia vobis iudicium eſt. Oſee 5. 1.*

14. Et ut iudicium in ſacerdotem rigoroſius, ita & pœna ſeverior. *Duplici contritione contere eos. Jer. 17. 18. Grandis dignitas ſacerdotum, ſed grandis pœna ſi peccent. Concil. Paris. 6. An. 828.* Et S. Chryſoſtomus: *Sacerdos ſi pariter cum ſubditis peccet, non eadem, ſed multo acerbiora patietur.* Revelatum S. Brigittæ, quod ſacerdotes peccatores, *præ omnibus diabolis, profundius ſubmergentur in infernum. Rev. lib. 4. Cap. 135.* O! quanta lætitia gaudent dæmones, videntes ſacerdotem ad infernum deſcendentem! *Infernus ſubter conturbatus eſt, in occurſum adventus tui. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis. Iſaiæ 14. 9.* Omnes Principes tenebrarum harum, exultabunt præ gaudio. *Univerſi reſpondebunt tibi: Et tu vulneratus es, ſicut & nos; noſtri ſimilis effectus es? Idem. Ibidem.* O! ſacerdos, tu dominabaris, tu deſcendere faciebas verbum incarnatum, tu liberabas animas ab inferno, & *ſimilis effectus es* nobis? tormentis adigeris uti & nos. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua.* ſpreviſti Deum, proximi ſalutem neglexiſti. *Concidit cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Purpura te operiebat ut Regem, nunc ignis cooperiet te; animam tuam qui etiam aduret. Ah! quomodo irridebunt dæmones, miſſas à te celebratas, ſacramenta ſuſcepta & diſtributa. *Et deriſerunt Sabbatha eius. Thren. 1. 7.*

15. Conſidera, quod non tam de centum ſæcularibus exultant dæmones, quam de uno ſacerdote damnato. Sacerdos enim

enim unus, post se trahit multos. *Qui pastorem de medio tulerit, totum gregem dissipavit. Vide Chrys. Hom: in 1. Tim.* Et author *de sing. Cler. inter oper. Cypr.* bene dicit: *Plus* Duces, quam milites appetuntur in pugna; S. Hieronym. subiungit: *Non quærit diabolus homines infideles, & eos, qui foris sunt; de Ecclesia Christi rapere festinat; escæ eius secundum Habacuc, electæ sunt.* Cibus sapidissimus dæmonis, animæ Ecclesiasticorum.

(*Sequentia inservient ad motivum doloris & compunctionis*) Sacerdos mi, dicit tibi Dominus idem, quod populo Hebræo dixerat: *Quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi.* Quid mali feci, nonne multa bona? *Eduxi te de terra Ægypti*, eduxi te de mundo, ex tot sæcularibus selegi te, ut esses minister meus, sacerdos meus, familiaris meus. *Et tu parasti crucem Salvatori tuo;* & tu propter vile quiddam, iterum me crucifigis? *Ego te pavi manna per desertum*, ego te pavi manna in deserto terræ huius, quolibet mane, corpore meo, & sanguine meo potavi, *& tu me cæcidisti alapis & flagellis.* cæcidisti ver-

bis immodestis, tactu & sermone, opere tuo, peccatis tuis &c. *Quid ultra facere debui & non feci? ego plantavi te vineam speciosissimam & tu facta es mihi nimis amara.* Ut sis deliciæ meæ plantavi te, fontibus gratiarum rigavi te, ut fructus mihi afferres dulcissimos, & tu mihi acerbos & amaros protulisti fructus. *Ego tibi dedi sceptrum regale*, feci te regem, imo supra omnes reges terræ superiorem; & *tu dedisti capiti meo spineam coronam*, malis tuis cogitationibus sertam. *Ego te exaltavi*, ut esses vicarius meus, haberes claves regni cœlorum, verbo, ut esses Deus terræ, *& tu me suspendisti in patibulo crucis*, & tu contempsisti gratias meas, amicitiam, iterum me cruci affigeris? &c.

CAPUT V.

Quantum damnum adfert tepiditas Sacerdotis.

I.

O*Pera tua scio, & laborem, & patientiam*, iubet scribere Joannem in Apocalypsi Deus *c. 2.* ad Ephesinum Episcopum,

quibus ſubiungit: *Sed habeo adverſum te, quod caritatem tuam primam reliquiſti*, tepuiſti in fervore. Sed quam grande malum ſit, audite quod ſubiungat Dominus: *Memor eſto itaque unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum de loco ſuo.* Recupera primum fervorem faciendo pœnitentiam, ut ſis verus miniſter meus; ſin ſecus, reiiciam te à me, & reprobabo te. En, qui caſus tepiditatis! Peius autem dum agnoſcitur, præcipue a ſacerdotibus. Maior pars ſacerdotum impellitur in hunc ſcopulum tepiditatis, & multi pereunt. Scopulus non apertus, in quem deducit tepiditas; non enim dat cognoſcere, ingens periculum animarum; multi nolunt derelinquere Jeſum; ſequuntur Eum ſed à longe, ut Petrus ſequens Chriſtum: *Petrus vero ſequebatur à longe. Lucæ 22. 54.* Et facillime cadunt in idem, in quod Petrus cecidit. Ad unius puellæ exprobrationem, abnegant Redemptorem ſuum.

2. *Qui ſpernit modica, paullatim decidet. Eccl: 19. 1.* Interpres, applicat hunc textum tepido. *Decidet à pietate*, & poſtea *à ſtatu gratiæ, in ſtatum peccati.* Non advertens leves culpas, nonque eas examinans, decidet in mortalia. *Euſebius Emiſſ. difficile eſt, ut non cadere permittatur, qui minus gravia non veretur. Homil: init. Quadrag. iudicio autem divino*, (ſubiungit S. Iſidorus) in reatum nequiorem *labuntur, qui diſtringere minora facta ſua contemnunt.* Pauca mala & rara, non adimunt ſanitatem; ſed multa & continua, deducunt ad mortem. Scribit Auguſtinus *in Pſalm: 49. magna præcaviſti de minutis; quid agis? proieciſti molem, vide ne arena obruaris*; minutis peccatis, quæ deducunt ad mortale, quod privat gratia omni animam. Et ita, *ut uſu cuncta levigante, nequaquam poſtea committere graviora timeamus. S. Gregor. Lib. 10. mor. cap. 9. Contemnendo leviores culpas, periculum eſt, ne in imperfectam inſenſibilitatem deveniamus. S. Doroth. ſerm: 3.*

3. Sancta Thereſia, ut teſtatur Rota Romana, culpam non novit graviorem; ſed cum ei monſtraſſet Dominus locum in inferno, ſi ſtatum tepiditatis non deſereret, is enim privat gratiis inſenſibiliter, poſſet eſſe in inferno. Illico deſeruit tepidi-

piditatem, & cum fervore servivit Domino. Admonet Apostolus: *Nolite locum dare diabolo. Ephes. 4. 27.* Dæmoni sat est aperire portam cordis cum venialibus, & per ea deducens ad mortalia, occupat integre cor hominis. Dicit Cassianus. *Lapsus quispiam, nequaquam ruina subita corruendus est.* Scilicet, cum audimus quandam personam cecidisse graviter, intellimus, non subito eam cecidisse, sed à venialibus inchoasse; ex statu tepiditatis, ad graviora transisse peccata. *Novimus multos*, dicit S. Chrysostomus, *omnes virtutis habuisse numeros, tamen negligentia lapsos, ad vitiorum barathrum devenisse.* Narratur in Chronica Tereſiana, visam fuisse, à Ven. Anna ab incarnatione, animam cuiusdam, quæ putabatur Sancta, confessam per animalcula, quorum una dixerant: *Per nos inchoavit;* alia: *Per nos continuavit;* cætera: *& per nos se perdidit.*

4. *Scio opera tua*, alii Episcopo, scilicet Sardo, dixerat in Apocalypsi Dominus: 3. 15. *quia neque frigidus es, neque calidus;* ecce status tepidi, neque frigidi, neque calidi; *Tepidus est, qui non audet Deum mortaliter*

taliter sciens et volens offendere, sed perfectioris vitæ studium negligit; unde facile se concupiscentiis committit. Menoch: in Apoc: loc: cit. Sacerdos tepidus, non est manifeste frigidus; non enim committit apertis oculis peccatum mortale; sed non perfectionem curans, secundum conditionem sui status non vivens, sinit examen inire, circa veniales culpas, in quas per diem labitur absque scrupulo, mendacia, iocos inhonestos committit; officium & missam, præcipitanter absolvit; oblognitur in discursu; vivit abstractus negotiis inutilibus, & recreationibus sæcularibus propriis, plenus desideriis & contuberniis periculosis, curat vanam gloriam, & favores sæculi, fovet simulationem, nec suffert verba sibi contraria; non fert mansuete contemptum & contumelias; sine modestia, sine oratione, sine devotione vitam agit. Omnes hi defectus, signa tepiditatis in sacerdote. *Sunt hæc, velut irremissæ ægrotatiunculæ, quæ vitam quidem non dissolvunt, sed ita corpus extenuant, ut accedente aliquo gravi morbo, corpus vires non habeat resistendi. P. Alvarez. lib. 5. p. 2. c. 16.*

Insurgente tentatione graviori, minutas non vincens, non resistit & cadit; sed cadit gravius. . De quo sequentia scripturæ verba: *Utinam frigidus esses; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te movere ex ore meo. Apoc: loc: cit:* Considera hæc, & contremisce, o! sacerdos!

5. *Utinam frigidus esses!* Etenim, *licet frigidus sit peior tepido, tamen peior est status tepidi, quia est in maiore periculo ruendi, sine spe resurgendi. Corn. à lap. in Apoc. 3. 16. Facilius est enim, quemlibet paganum ad fidem Christi adducere, quam aliquem talem, à suo tepore, ad spiritus fervorem revocare. S. Bernard. Frequenter vidimus, de frigidis, ad specialem pervenisse favorem, de tepidis, omnino non vidimus. Cassianus sicut ante teporem frigus, sub spe est, ut aliquando veniat ad fervorem; ita tepor, quia à fervore deficit, in desperatione est. Qui enim adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit; qui autem post conversionem tepescit, etiam spem, quæ esse potuit de peccatore, subtraxit. S. Gregorius vid. Past. p. 3. adm. 34.*

6. Plura, Tepiditas est malum incurabile, & desperatum. Cuius ratio hæc. Ille

Ille evitare potest periculum, qui illud novit; Tepidus autem cadit, existens in obscuro statu, nequiens cognoscere, in periculum, in quod præcipitatur. Tepiditas, ut febris hectica, vix cognosci datur. Defectus inhabituati in tepido, visum debilitant. *Maior culpa,* scribit Gregorius, *quo citius agnoscitur, citius emendatur; minor vero diu, quia quasi nulla creditur, et in usu retinetur. Unde fit plerumque, ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, et in maioribus contemnat. Past. 3. p. adm. 34.* In homine malo inhabituato quamvis, horrorem, quendam producit peccatum mortale; tepidum autem, imperfectiones eius disordo, dissipatio, nec minimum movet. *Magna peccata, eo minus periculosa sunt, quo aspectum satis tetrum ostendunt; & minima periculosiora videntur, quia latenter ad ruinam disponunt. P. Alvarez; lib. 5. p. 2. c. 16.*

7. Unde S. Joannes Chrys. dicit: *Non tanto studio magna peccata esse vitanda, quam parva; illa enim natura aversatur, hæc autem, quia parva sunt, desides reddunt. Dum contemnuntur, non potest ad eam expulsionem animus generose insurgere. Unde cito ex par-*

 vis

vis maxima fiunt. Maiora facillime committit, qui minima negligit. Admonet Deus in canticis: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit, Cant. 2. 15.* Nota *vulpes.* Cur non dicit: Capite mihi leones, tygres, sed vulpes? quia vulpes demoliuntur vineas, fodientes plures cuniculos; & exsiccantur radices devotionis, bona desideria. quæ sunt, radices hæ vitæ dicuntur spiritualis. *Parvulas.* Cur non maiores? parvæ enim minus timentur, & plus destruunt radicum: *Culpæ leves, & imperfectiones, sunt vulpes parvulæ, in quibus, nihil nimis noxium aspicimus; sed hæ vineam, id est animam demoliuntur, quia eam sterilem faciunt, dum pluviam cælestis auxilii impediunt, P. Alvarez. Ibid.* Subiungit Spiritus Sanctus: *nam vinea mea floruit.* Quid enim faciunt venialia multiplicata? flores depascunt, destruunt bona desideria, progressus in Spiritu, absque quibus anima, pergit in deterius; denique, præcipitant in profundum, de quo exire difficillimum est.

8. *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere.* Potio frigida, vel calida, bibi potest, tepida

tepida autem non, nam provocat vomitum. His nimirum verbis minatur tepido: *incipiam te evomere ex ore meo.* Finiamus adducere textum hunc. Commentatur Menochius, *in Cap. Apocalypsis 3. Porro tepidus incipit evomi, cum permanens in tepore suo, Deo nauseam movere incipit; donec tandem omnino in morte sua evomatur, & à Christo in æternum separetur,* Deseritur absque spe à Domino. *Vomitus significat Deum execrari tepidos, sicut execramur id quod os evomit. Corn. à lap.* Quomodo ergo Deus incipit evomere sacerdotem? ecce, removet ab eo, (quod dicitur evomere) spirituales consolationes, bona desideria; & ita privatur unctione spiritus; accedit ad orationem, sed cum tepore, tædio; absolvit, & aliquantum desinit, omittendo prius, tum demum & cessat de integro. Cessat ergo ad Deum recurrere; & ita devenit, ut peior efficiatur. Absolvet missam, recitabit officium divinum, sed absque ullo merito & fructu, omnia faciet, & ægre; absque fortitudine, & absque devotione. *Calcabis olivam, & non ungeris oleo. Mich. 6, 15.* missa, officium,

prædicatio; confessionum auditio, assistentia moribundis, omnia, verbo, peragentur absque fervore: & ita fiet aridus, dissipatus continuo, & agitatus tentationibus, quibus succumbet. *Incipiam te evomere.* En quomodo Deus incipit evomere sacerdotem.

9. Dicit hic sacerdos: sufficit mihi, ut me salvem, dummodo peccatum non committam mortale. Sufficit ut te salves? non certe, non, dicit Augustinus; obligatus es, tendere continuo ad perfectionem, via stricta & ardua. *Ubi dixisti: sufficit, ibi periisti. S. Greg.* Qui vocatur, ut salvetur ut sanctus, & vult salvari de imperfecto, non salvabitur. Hoc Deus revelavit, B. Angelæ de Fuligino. *Qui sunt à me illuminati, ut tendant ad perfectionem, & progrediuntur via ordinaria, derelinquentur à me.* Certum est, dixi supra cap. 3. quod sacerdos debeat esse sanctus; nam id dignitas eius exigit, cum sit familiaris Dei, & minister; mediator populi apud divinam maiestatem; sanctificator animarum, per distributionem sacramentorum, & ut perfectior sit, adiuvatur gratiis & favoribus

ribus à Deo. Exercens ergo negligenter suum ministerium, maledicitur à Domino, iuxta illud *Ierem: 48. maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Maledictio hæc, est derelictio. *Deus nam negligentes deserere consuevit. S. August.* Deus vult à sacerdotibus, ut Seraphinis ministrari; tepido gratiam suam subtrahit, sinitque eum dormire, itaque ruere in barathrum. Sacerdos tepidus, oppressus multis culpis venialibus, & tot disordinatis affectibus, collocatur in statu insensibilitatis, nihil quocirca impressionis gratiæ receptæ, & obligatio status eius facit; iuste ergo Deus subtrahit adiumenta, data à se sacerdoti, ut hic ruat, neglectis gratiis, in peius; dicente Apostolo: *Qui parce seminavit, parce & metet. 2. Cor. 9. 6.*

10. Denuntiat Deus, quod gratias, gratis solum tribuat, ab ingratis vero, tollat easdem. *Omni habenti dabitur, & abundabit; ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Math: 25. 29.* Et illud apud Mathæum 21. 41. Quod recipiet à neglientibus vineam. *Malos, male perdet; vineam autem suam, locabit aliis agricolis,*

agricolis, qui reddent ei fructum, temporibus suis. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti, facienti fructus. Scilicet: tollet Deus de mundo sacerdotem malum, & nolentem procurare gloriam & honorem Dei, & aliis dabit fidelioribus.

11. Unde nascitur, quod sacerdotes, cum tot communionibus, missis, orationibus, parum fructus aut nihil referant. *Seminastis multum, & intulistis parum... & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Aggæi 3. 6.* Talis est sacerdos tepidus; omnia exercitia sua spiritualia in pertusum reponit saccum, quæ cum defectibus faciens, dignus severiori est pœna. *Signum amoris satis tepidi, velle amatum, in solis rebus gravibus non offendere; & in aliis, quæ non tanta severitate præcipit, eius voluntatem, procaciter violare. P. Alvarez. l. 1. c. 12.* Sacerdos eget gratiis non paucis; sed quomodo ei Deus tribuere debet, cum Deum offendat, serviatque tepidissime? S. Ignatius Loyola, advocavit fratrem quendam tepidum ad se, sciscitatusque ab eo, cur nam venerit ad Religionem?

gionem? cum responsum acceperit, quod Deo servire venerit; insurrexit verbis in eum his: Itane Deo servis? si principi, si cardinali inservires tam tepide, condonarem utique; sed cum Deo dicas te ad religionem venisse ut servires, parcere quomodo possum? Quivis sacerdos, in aula Summi Regis est collocatus; tepide ergo serviens, dishonore afficit Deum, vitam agendo plenam affectibus disordinatis; ac declarat, quod Deus non sit dignus amore ferventi; non præfert gloriam Dei sui, negotiis propriis.

12. Attendite o! sacerdotes, & perhorrescite, ne dignitas nostra altissima, & honor quo ornati sumus, in dies maiorem adferat damnationem. Dæmonum nostrorum *hostium malitia, qui tam solliciti sunt in nostram percussionem, nos quoque sollicitos faciat, in timore ut nos & tremore ipsorum salutem operemur. Serm. 2. de S. Andrea.* Plus unius, diaboli, faciunt apud se casum sacerdotis, quam centum sæcularium. Apud quos damnati sacerdotis maximus triumphus; sacerdotis enim interitus, ducit sæcularium turmas ad interitum. Et sicut

muſcæ fugiunt à bulliente edulio; ita dæmones ferventem in ſuo ſtatu ſacerdotem, non adoriuntur, tepidum vero infeſtant felicius. *Tepidus igitur in magno verſatur periculo; ſæpeque, inter tot occaſiones huius vitæ, in mortale prolabitur. Corn. à lapid. in Apoc. 3. 15.* Poſtquam vero ingruerit tentatio gravior, illico cadit ſacerdos tepidus.

13. Oportet ergo, evitare hæc peccata, quæ apertis committuntur oculis. Negare enim nequimus, ut excepta Virgine MARIA, poſt Chriſtum ab omni macula exempta, ſancti licet, quod dicimus, venialia habuerint peccata; iuxta illud Jobi: *Nemo mundus à ſorde. Job. 27. 24.* Et D. Jacobus Ep. 3. 2. *In multis offendimus omnes: neceſſe eſt omni filio Adam, ſcribit S. Leo, mundano pulvere, etiam corda religioſa ſordeſcere. Serm. 4. de Quadrag.* Sed advertendum quod dicit Sapiens: *Prov. 24. ſepties cadet iuſtus & reſurget.* Qui cadit ex fragilitate humana, ſine cognitione, ſine conſenſu deliberato, facillime reſurgit. *Cadet & reſurget.* Sed qui cognoſcit & committit; loco deteſtationis complacet in

in peccato; quomodo reſurget? *Etſi non ſumus ſine peccatis, oderimus tamen ea. S. Aug. de verb. Apoſt. ſerm: 29. c. 6. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt* (Deus) *et iuſtus, ut remittat. 1. Joan. Ep. 19.* Bloſius de culpis venialibus: *Sane tales culpas, generaliter expoſuiſſe, ſatis eſt. De conſ. Puſill. §. 2.* Talia peccata, ſi humiliter confiteamur, placet Domino, condonare ea. Similia his, S. Franciſcus Saleſius docet. Et D. Thomas *3. p. qu. 87. ar. 3.* ad delenda peccata venialia, *ſufficit actus, quo aliquis deteſtatur peccatum, explicite vel implicite, ſicut cum aliquis ferventer movetur in Deum.* Triplici quocirca *ratione, aliqua cauſant remiſſionem venialium. 1. Per infuſionem gratiæ; et hoc modo per Euchariſtiam et omnia ſacramenta, venialia remittuntur. 2. In quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis; et hoc modo, confeſſio generalis, tunſio pectoris, et oratio Dominica, operantur ad remiſſionem. 3. Inquantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, et ad res divinas; et hoc modo, benedictio Epiſcopi, aſperſio aquæ benedictæ, oratio in Eccleſia dedicata, et talia huiusmodi, operantur ad remiſſio-*

missionem venialium. De communione loquitur D. Bernard. Senens. *Contingere potest, quod tanta devotione mens per sumptionem sacramenti absorbeatur, quod ab omnibus venialibus expurgetur. Serm. 45. ar. 3. Cap. 2.*

14. P. Ven. Ludovicus de Ponte, dixerat: multos commisi defectus, sed non cum defectibus feceram pacem. Et Bernardus: imperfectiones remittuntur à Deo, per bonam vitam; non vero hæ, quæ apertis committuntur oculis, & deliberate, tales enim, modice & per modicum adferunt ruinam. *Muscæ pereuntes, perdunt suavitatem unguenti. Eccles. 10. 1.* Dionysius Carthus. super verba hæc: *Dum musca cadit in unguentum, manendo in illo, destruit valorem et odorem. Spiritualiter, muscæ morientes, sunt cogitationes vanæ, affectiones illicitæ, distractiones morosæ, quæ perdunt suavitatem unguenti, id est: dulcedinem spiritualium exercitiorum.*

15. Scribit D. Bernardus, *Serm. 1. de convers. S. Pauli. Peccatum leve, veniale, non est malum grande; sed si in eo habeatur complacentia, meretur à Deo pœnam, iuxta illud*

illud Lucæ c. 12. 47. Qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit, vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Verum est, quod à venialibus, neque sancti exempti erant; sed ea ferventi amore Dei, delebant viri Dei. *Quemadmodum in singulis diebus offendimus, ita quotidianas expiationes habemus. Blosius.* Sed qui consulto, deliberate, cadit, quamvis in venialia, quomodo perfectionis viam tenere dicetur? avicula volat; sed si vel minimo filo alligetur, cadat omnino necesse ad terram. Minimum ita sit filum, quo anima ad terram alligetur, sursum in spiritu evolare nequit. S. Chrysostomus.

16. Caveamus igitur, ne in hunc statum cadamus miserabilem, tepiditatis; ad sublevandum enim sacerdotem de hoc statu, omnino opus divinissima potentia. Sed quomodo sacerdoti Deus largiatur hanc gratiam, cum continuo redit ad vomitum? Nihilominus, spem o! sacerdos habe, deprehendens te in statu tepiditatis. Spes autem tua, misericordia & potentia Dei. *Quæ impossibilia sunt apud homines,*

mines, possibilia sunt apud Deum. Lucæ 18. 27. Impossibile sit licet tepido resurgere, sed apud Deum non. Ast opus tamen nostro desiderio; qui non desiderat resurrectionem, quomodo quit sperare in Dei adiutorio? qui autem caret desiderio, neque illud elicere potest, oret Deum. Si petierimus, & perseveraverimus, utrumque à Deo obtinebimus. *Petite et accipietis*, promittit Deus, non ergo fallet. Postulemus igitur cum Augustino, dicentes: *meritum meum Domine, misericordia tua.* Non sum dignus, ut merear exaudiri, sed spes & meritum meum, merita Jesu Christi, o! Pater æterne! *Recursus ad Virginem B B. certum medium deserendi tepiditatem.*

CAPUT VI.

DE PECCATO INCONTINENTIÆ.

I.

PEccatum incontinentiæ, appellat pestem vivam D. Basilius. S. Bernardinus Senensis, vitium pernitiosissimum. *Vermis, quo nullus nocentior;* iuxta enim D. Bonaventuram: *Luxuria, omnium virtutum eradicat germina.* Quocirca Ambrosius dicit: *Luxuria seminarium est & origo, omnium vitiorum.* Hoc enim vitium, trahit secum, odia, furta, sacrilegia, & alia. Vnde D. Remigius: dico quod *ob hoc vitium, exceptis parvulis, maior pars hominum damnatur.* Et P. Paulus Segneri: ut ob superbiam plenum infernum angelorum, ita ob incontinentiam seu luxuriam, plenum hominum. Aliis vitiis piscatur dæmon, vitio vero luxuriæ ut retibus, animas hominum: tantum enim lucri infernum habet ex luxuria, quantum non plus ex aliis. Et Deus Ipsemet, maiores gravioresque pœnas, pro luxuria assignaverat; mittens de cœlo aquas diluvii; & ignem sulphureum.

2. Castitas, est gemma rarissima, vix à quoquam in terra reperienda; ut dicit D. Athanasius: *Gemma pretiosissima, à paucis inventa.* Quæ gemma dum conveniat sæcularibus iuxta ac sacerdotibus, ab utrisque est summe necessaria. Hanc virtutem Apostolus commendat præcipue Timotheo. *Te ipsum castum custodi. 1. Tim. 5. 22.*

22. *Ante omnia ſacerdos, qui divinis aſſiſtit altaribus, caſtitate debet accingi. Origenes.. Soli, qui puram habent vitam, ſunt Dei ſacerdotes. Clemens Alexandrinus. Lib. 3. ſtromatum.* Igitur *ſi ſacerdotes pudicitia careant, libido ſacerdotibus dignitatem abrogat. S. Iſid. Lib. 3. Ep. 75.* Et ea propter Eccleſia, Conciliis, legibus, omnino iubet requirere in ſacerdotibus pudicitiam. Innocentius III. *Cap. à multis; de ætat. & qual. Ordin. nemo ad ſacrum ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ caſtitatis exiſtat.* Ideoque mandat, ut Eccleſiaſtici incontinentes, *ab omnium graduum dignitate* arceantur. S. Gregorius *in Cap. Pervenit diſt: 50. Qui poſt acceptum ſacrum ordinem, lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro ordine ita careat, ut ad altaris miniſterium non accedat.* S. Sylveſter *Can. Presbyt. diſt. 82.* mandat ut Presbyter, turpe committens peccatum, decem annis pœnitentiam agat; tribus humi cubet, ſemotus ab omni conſortio hominum, privatus communione; per ſemialterum, omni die pane veſcatur & aqua; ſequentibus vero, per tres dies in hebdomade, panem

nem manducet, & aquam potet. Verbo Eccleſia, tanquam monſtra, ſacerdotes incontinentes, luxurioſosque intuetur.

3. Examinemus præprimis, malitiam peccati mortalis huius, in ſacerdote luxurioſo. Sacerdotes ex voto ſuo, ſunt templa Dei, oblata ſupremo numini in perpetuum. *Unxit nos Deus & ſignavit nos;* ſcribit D. Paulus de ſe & ſociis ſuis ſacerdotibus. Quocirca, ait Hugo Cardinalis, *ſacerdos ne polluat templum Domini; quia oleum ſanctæ unctionis ſuper eum eſt.* Corpus ſacerdotis, eſt ſanctuarium Dei. *Te ipsum ſanctum cuſtodi;* ſcribit D. Ignatius Mar. *Ep. 10. ad Hon. Diacon.* ut donum *Dei, templum Chriſti.* Sacerdotes igitur per luxuriam, *nonne corpus Dei violant? Petr: Dam: Op. 18. d. 3 c. 3. Nolite, Deo vaſa ſacra, in vaſa contumeliæ vertere. ibid.* Quid diceretur, ſi calix conſecratus, apponeretur menſæ, uſui prophano? ſacerdotes, *cum ipſi templum & ſacrarium ſpiritus ſancti eſſe debeant, indignum eſt eos immunditiis deſervire.* Innocent. *Can: decernimus diſt. 28.* Quantum ſpectrum ſacerdos, qui ipſa reſpirare obligatur puritate,

 ſordi-

ſordidus, luxuriæ deditus! *Sus in voluta- bro luti 2. Petri 2. 22.* Sacerdotes, *Deum in ipſis habitantem, corrumpunt, quantum in ſe eſt, et vitiorum ſuorum coniunctione pol- luunt. Clem. Al. Pæd. l. 2. c. 10.* Unde con- queritur Dominus: *Sacerdotes . . . contempſe- runt legem meam, et polluerunt ſanctuaria mea . . et coinquinabar in medio eorum. Ezech: 22. 26.* Eheu! *Polluimus Corpus Chriſti, quan- do indigni accedimus ad altare. Hier: in C. 1. Malach.*

4. Sacerdos offerens in altari agnum immaculatum, ſcilicet Filium Dei; pudi- citiæ amans eſſe debet. *Pudicitia ſacerdo- talis, non ſolum ab opere in mundo, ſed eti- am, à iactu oculi ſit libera. Jerom: in c. 1. ep. ad Tit. neceſſe eſt ſacerdotem ſic eſſe pu- rum, ut ſi in ipſis cælis ſit collocatus, inter cæleſtes illas virtutes, medius ſtaret. S. Chryſ. de ſac: l. 3. c. 4.* & alio in loco: *Quos ſo- lares radios, non excedere deberet manus illa, quæ hanc carnem tractat. Hom: 3. in Matth: Quis adeo impius erit, qui lutoſis manibus, ſacratiſſimum Sacramentum tractare præſu- mat? Auguſtin: Serm: 44. de temp. Audent agni immaculati ſacras contingere carnes, et*

intingere in ſangvine Salvatoris manus, qui- bus paullo ante, carnes attractaverunt. S. Ber- nard: in declam. Ah! ſacerdos cave, *ne ma- nus quæ intinguntur ſangvine Chriſti, pollu- antur ſangvine peccati. S. Aug. ſerm: 37. tract: ad Herem:*

5. Præterea Caſſianus. Sacerdotes, *qua puritate oportebit cuſtodire caſtitatem, quos neceſſe eſt, quotidie, ſacroſanctis carnibus agni veſci? l. 6. c. 8.* Petrus Bleſ: *Serm: 18. Qui ſacra illa verba ſacramenti, ore immundo proferet, in faciem Salvatoris ſpuit; et cum in os immundum, ſanctiſſimam carnem ponit, eum, quaſi in lutum proiicit. Quid maius,* verba S. Vincentii Ferrerii, *peccatum eſt, quam ſi proiiciat Corpus Chriſti in cloacam? O! ſacerdos,* Petrus Dam: *[de cæl: ſacrif. C. 3.]* exclamat, *qui debes offerre, noli pri- us teipſum maligno ſpiritui victimam immo- lare!* Etenim ita agentes, *vos eſtis dæmo- num victimæ, ad æternæ mortis ſuccidium deſtinati, et vobis diabolus, tanquam delica- tis dapibus paſcitur, et ſaginatur. L. 4. ep. 3.* Sacerdos luxuriæ deditus, celebrans, non ſolum ſe, ſed & alios, perditioni committit. D. Bernardus, ſcribens ſuper

verba Isaiæ 36. 17. *Ecce in pace, amaritudo mea amarissima*, habet: *Amara prius in cruce martyrum, amarior in conflictu hæreticorum, amarissima in luxuria Ecclesiasticorum. Pax est, et non est pax; Pax à paganis, pax ab hæreticis, et non pax à filiis; Filii propriam matrem eviscerant.* O! quantus pudor, clamat S. Petrus Damiani: *Qui prædicatores castitatis, non te pudet, servum esse libidinis!*

6. Transeamus nunc ad examinanda damna, in anima quæ facit sacerdotis, peccatum luxuriæ. Inprimis excæcat, & lucem amittit Dei, veritatisque æternæ. *Castitas mundas mentes hominum, præstat videre Deum. Serm: 249. de tempore.* Contra primum damnum cæcitas, effectus luxuriæ, *Cæcitas mentis, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror futuri, luxuria est. S. Thomas 2. 2. qu: 153. art: 4. Luxuria non sinit futura cogitare.* S. Augustinus. Corvus adinveniens cadaver, rostro oculos ante omnia eruit; ita luxuria lucem rerum divinarum eruit. Evidentissimum in Calvino, Parocho & Pastore animarum documentum, ob luxuriæ vitium, qui factus hære-

hæresiarcha. Henricus VIII. e defensore Ecclesiæ, eiusdem maximus persecutor, ob luxuriæ vitium evasit. Salomonem, de sancto & sapientissimo, luxuria effecit idololatram. Accidit quotidie id sacerdotibus. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. Soph: 2. 17.* Miseri! in medio lucis, missæ quam celebrant, officii divini quod absolvunt, funeralium quibus assistunt, cæci neque credentes, quod mori eos oporteat, quod iudicium subeundum sit, quod infernum eos maneat, cui se appropinquant. *Palpant in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris. Deut: 28. 19. non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis, in medio eorum. Osee 5. 4. Nec admonitionem, nec consilia, nec aliquid aliud, salvare potest animam, libidine periclitantem. S. Chrys. Hom: contra lux.*

7. Horrendum, quod non videant ad lucem. *Supercidit ignis, et non vident solem. Ps. 57.* Concludit Angelicus Doctor: *Supercidit ignis libidinis. Vitia carnalia* (enim) *extinguunt iudicium rationis; quia luxuria, totam animam trahit ad delectationem,*

2. 2.

2. 2. *qu: 53. ar: 6. ad 3. Luxuria, peiorem bestia facit.* Eusebius. Unde sacerdos, obcæcatus luxuria, non advertit sacrilegia à se facta, neque scandala, aliis quibusvis præbita; in peccato suo, offeret sacrificium immaculatum. O! res stupenda; profecto qui amittit lucem, facillime omne adit malum!

8. *Accedite ad eum, & illuminamini. Ps. 33. 5.* Qui vult lucem, oportet ut accedat ad Deum; & quoniam luxuria elongat à Deo hominem iuxta D. Thomam; *Per luxuriam homo maxime recedit à Deo. 1. 2. qu. 37. a. 5.* igitur luxuriosus, efficitur animal, non agnoscens res spirituales. *Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor: 2. 14.* Infernum, æternitatem, sacerdotii dignitatem, *non percipit.* Et dubitare incipit de ipsa fide, ut Ambrosius dicit: *ubi cœperit quis luxuriari, incipit deviare à vera fide. Ep. 1. ad Sabin.* Heu! o! miseri sacerdotes, amittitis fidem, vestra luxuria! *Ossa eius, implebuntur vitiis adolescentiæ eius,* cuius est spurcitia luxuriæ; *Et cum eo in pulvere dormient. Iob. 20. 11.* Vti vas, impletum terra, non admittit

tit

tit lucem; sic carnalibus se ingurgitans, lucem Dei admittere non potest.

9. Infelix anima sacerdotis luxuriosi, oblita Dei, obliviscitur ab Eodem. *Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum; tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas. Ezech: 21. 35.* Explicat S. Petrus Damiani: *Illi Deum, post corpus suum proiiciunt, qui suarum obtemperant illecebris voluptatum. Op. 18. diss. 2. c. 3.* Narrat P. Cataneo, de quodam peccatore, quem cum deprehendisset amicus in praxi mala, monuissetque; ob hanc dilectam rem, non est cur etiam infernum reformidem. Alter, sacerdos hic erat, repertus in cubiculo, cum uxore quadam à marito, coactus epotare venenum, eo sorpto, regressus suam domum, amicum postulavit, cogentem ut se disponat, quatenus adire vellens, suam sodalem; nuntiaretque, ob amorem eius, mortem eum imminentem oppetere. Quid exprimere potest, terribiliorem cæcitatem?

10. Alio in loco peccator impurus, ob stinatam gessit voluntatem. Etenim; *hac rete diaboli,* verba Jeronymi S. *si quis capitur,*

pitur,

pitur, non solvitur. S. Thomas *1. 2, qu: 73. art: 5. ad 2. Diabolus*, nullo *maxime gaudere debet, quam de peccato luxuriæ, quia maxime est adherentiæ,, & difficile ab eo homo potest eripi.* Quocirca, à Clemente Alexandrino, luxuria, *morbus* appellatur *immedicabilis*: à Tertulliano, *vitium immutabile:* à Cypriano, *mater impœnitentiæ.* Petrus vero Blesensis ait: *Est fere impossibile triumphare de carne, si ipsa de nobis triumphavit.* R. P. Bidermannus adfert exemplum, de quodam iuvene, qui deditus miser luxuriæ, proximus morti, expostulavit confessionem; qua peracta, sacramentis munitus, obiit. Altera vero luce, dum sacra ageret Confessarius, pro anima defuncti, à nube instar, conspexit Planetam sibi agitari: sciscitatus, cognovit mortuum iuvenem esse, & bene licet dispositum, consensisse cogitationi tamen, impuræ: ideoque damnatum.

11. *Propheta namque & sacerdos, polluti sunt, ... idcirco via eorum, quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea. Jerem: 23. 11.* En interitum, luxuriosorum sacerdotum; via eorum lubrica, in quam

quam impelluntur à dæmone: Etenim: *dum servitur libidini*, Augustinus differit, *facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Conf. lib. 8. c. 5.* Accipiter, ne expositum venenatum morticinium ab aucupibus tangat, inedia perire seligit, quam occidi ab inimicis. Sacerdotes, simili modo, malunt manere obstinati in peccatis, seligunt magis perire in luxuria, quam eam deserere; & peccatum eorum, cum sit malitiæ, gravissimum est; luce enim illuminante, illud committunt; peccant contra castitatem etenim & contra suum votum; peccant & contra proximum, spurcitiis enim suis, scandalum præbent sæcularibus. Narrat Dionysius Carthusianus, *in libro de novissimis, ar: 47.* Quemdam servum Dei, in spiritu deductum ad purgatorium, multos vidisse pœnas subire pro impudicitiis; mirantique quod nullus sacerdotum foret, responsum datum fuisse, *vix aliquis talium, habet veram contritionem, idcirco, pene omnes damnantur.*

12. Præcipue luxuriæ vitium, damnat sacerdotes. *Altaria* enim *Domini, non alienum,*

enum, sed duntaxat Divini amoris ignem accipiunt. Quisquis igitur, carnalis concupiscentiæ flamma exæstuat, & assistere altaribus non formidat, ille divinæ ultionis igne consumitur. S. Petrus Dam: Opus. 27. de Com: Vita, Can: c. 3. Veniet, veniet profecto dies, imo nox, quando libido ista tua, vertetur in picem, qua se perpetuus ignis, in tuis visceribus, o! sacerdos! *inextinguibiliter nutriat. Op. 17. de cœl: Sac: Idem.*

13. Graviſſima pœna, manet pro luxuria sacerdotem. Si enim, homo ille Evangelicus, non ornatus veste nuptiali, in ignem miſſus fuerat & tenebras? *quid illi sperandum, qui cœlestibus tricliniis intromissus, non modo non est, spiritualis indumenti decore non conspicuus, sed ultro etiam fœtet, sordentis luxuriæ squallore perfusus? Opus. 18. Diss. 1. cap. 4.* Refert Baronius ad annum 110. de quodam sacerdote, qui proximus morti, adstantem religiosum sibi petiit, ut oraret pro eo Dominum; & paucis interiectis minutis, stridens exclamavit: *Cessa o! Pater orare, cessa; pro quo nullatenus exaudieris.* Petrus Damiani narrat *lib: 5. Ep: 16.* Sacerdotis cuiusdam, in ipso actu

actu peccati, mortem, una cum complice muliere. Sacerdotes inhonesti, scandalisant Ecclesiam Dei; ideoque iuste mortis pœna animadvertit in eos Dominus. Et ideo apud Malachiam de sacerdotibus scriptum: *Vos autem receſſistis de via, & scandalisastis plurimos de lege... propterea & dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis. Malach. 2. 8.*

14. Plurima remedia aſſignantur à magistris spiritus, contra luxuriam; præcipua eorum, fuga occasionum & oratio. *Hac in occasione,* dicit S. Philippus Nerius, *vincunt profugi;* scilicet fugientes ab occasionibus. Utatur quibuslibet sacerdos mediis; nisi fugiat, peribit. *Qui amat periculum, peribit in illo. Eccles. 3. 27.* Quoad orationem, non est in nobis tanta fortitudo, ut resistamus tentationibus, sed in Deo est, a quo per orationem impetranda. Unicum *oratio præsidium pudicitiæ est. S. Gregorius.* Sapiens quoque ait, *Sap. 8. 21. Et ut scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, adii Dominum, & deprecatus sum Illum.*

Qui

Qui plura de fuga & oratione scire cupit, relegat instructionem circa castitatem, inter instructiones pro sacerdotibus; has etiam traduxi ego, in latinum idioma.

CAPUT VI.

DE MISSA SACRILEGA.

I.

OPus nullum aliud est sanctius, sacrificio missæ, iuxta sancitum Concilii Tridentini, aientis: *Necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum à Christi Fidelibus tractari posse, quam hoc tremendum mysterium. Sess. 22. Decr: de Obs. in celebr: miss.* Præstantius omnibus sacrificiis veteris Testamenti, totiusque mundi; non enim hic taurus aut agnus, sed Ipse Filius Dei offertur. *Habuit bovem Judæus, habet Christum Christianus; cuius sacrificium tanto excellentius est, quanto Christus bove maior est, S. Petrus Cluniacensis, contra Petrobiusian. ap. Biblioth: PP. Tom. 2. Congrua* enim erat

erat tunc, servilis hostia servis, servata est liberatrix victima, iam filiis & amicis. Idem ibidem. Pulchre igitur differit S. Laur: Justin: *Serm: de Corp: Christi: sacra missæ oblatione nulla maior, nulla utilior, nulla oculis Divinæ Maiestatis gratior.* Quocirca *locus altari vicinus, plenus est Angelorum Choris, in honorem illius, qui immolatur. S. Chrys. lib. 6. de sac: c. 4.* Et Gregorius *Dialog: lib. 4. c. 5. Quis dubitat in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cælos aperiri; in illo Jesu Christi mysterio, Angelorum Choros adesse? Sacerdos hic ineffabile conficit mysterium, & Angeli conficienti sibi, quasi famuli assistunt. S. Augustinus in Psalmum 77.*

2. Igitur de sacrificio Corporis & sanguinis Christi, docet Tridentinum. *Quod idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. Sess. 22. 2.* Et prius S. Cyprianus *Ep. 66. ad Cæcil: sacerdos, verè vice Christi fungitur.* Consecrando enim dicit: *Hoc est corpus meum, Hic est Calix sanguinis mei.* Et Jesus solus dixerat, ad Discipulos: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Lucæ 10. 16.*

Mandaverat Deus, veteris Teſtamenti ſacerdotibus, portantibus vaſa, ut eſſent mundi. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Quanto mundiores*, dicit Petrus Bleſenſis, *eſſe oportet, qui in manibus & in corpore portant Chriſtum? Ep. 123.* Quocirca Concilium Tridentinum, ut cum omni reverentia pertractetur hoc grande myſterium, requirit. *Satis apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta fieri poteſt, interiori cordis munditia* hoc myſterium ſacrificii *peragatur. Trid: 22. cit: Decr: de Obſerv: &c.* Hæc alba nimirum *ſignificat*, à capite ad pedes cooperiens ſacerdotem, *Candorem*, inquit Abbas Rupertus, *vitæ innocentis, quæ à ſacerdote debet incipere.*

3. *Videte Sacerdotes, dignitatem*, verba S. Franciſci Aſſiſ. *veſtram, & ſicut ſuper omnes propter hoc myſterium honoravit vos Dominus; ita & vos, diligite Eum, & honorate.* Et quomodo honorare debet Deum, ſacerdos? forte veſtitus pretioſe, manicas acu pictas de byſſo, vel tela Hollandica aut Suevica geſtans? comam comptam & criſpatam? certe non. Dicit S. Bernardus, *honorabi-*

norabitis autem, non in cultu veſtium, ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operibus bonis. S. Bernardus, Ep. 42. Aſt in peccato celebrans ſacerdos, quomodo honorat Deum? qui contumeliam, ſacrilega ſua adfert numini ſupremo manu? Ipſum in perſona contemnes Deum? *O! ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, offertis ſuper altare meum, panem pollutum; & dicitis: in quo polluimus Te? Malachiæ 1. 6 & 7. Polluimus panem, commentatur Chryſoſtomus, id eſt Corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare.* Exaltare magis nequit Deus hominem, quam conferendo ei dignitatem ſacerdotii. Quanta ſelectio Domini? primo ſeligit ex innumerabilibus; creaturis poſſibilibus, demum ex millionibus Paganorum & hæreticorum; denique ſeparat ab omnibus ſæcularibus. Huicve homini, quam largitur poteſtatem? Ecce, ut ad unicum verbum, deſcendat ipſe filius unigenitus, de cœlo in terram. Nonne gratus eſſe Deo, pro hac commiſſa ſibi poteſtate debet? Extollit *de ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Pſal: 112. 7.* Et quamvis non

 uni,

uni, tribuat potestatem tam grandem, attamen minime minuit illam. Per Deum bonum! quid agit sacerdos celebrans in peccato? inhonorat & contemnit Deum; denuntians, tam sanctum sacrificium, indignum esse reverentia, cum sacrilege operatur. *Qui non adhibet honorem altari sancto, factis testatur, illud esse contemptibile. S. Cyrillus, ap. Molin: Instr: &c. tract. 2. Cap. 18.*

4. *Quo igitur solari radio, non puriorem esse oportet manum, carnem hanc dividentem? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Chrysostom. Hom: 83. in Matthæum. Nonne accedentem ad altare sacerdotem, sic purum esse oportet, ac si in ipsis cælis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret? Id: de Sac: l. 6. c. 4.* Quantus horror, solis etiam angelis, qui vident sacerdotem extendentem manum sacrilegam, ad Corpus Christi vescendum? *quis adeo impius erit, qui lutosis manibus sacratissimum Sacramentum tractare præsumat? S. Augustinus Serm: 244. de tempore.* Peius longe, sacrilege celebrans, perpetrat sacerdos. Tum Deus avertit oculos suos, ne videat tam

tam grande piaculum. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, Isaiæ 1. 15. Tunc* dicit Dominus, abominationem demonstrans, *dispergam super vultum vestrum, stercus solemnitatum vestrarum. Malach: 2. 3. Hæc quidem munda illa oblatio est, quæ nulla malitia offerentium inquinari potest. Sess: 22. c. 1. Concil: Trid.* Interim sacerdotes sacrilegi, non prætermittunt quantum possunt, conspurcare hanc immaculatam hostiam, fœdis suis manibus & corde. *Coinquinabor in medio eorum. Ezech: 20. 26.*

5. *Heu! Domine Deus, sunt sacerdotes in persecutione Tua primi, qui videntur in Ecclesia Tua principatum gerere. S. Bernard: exclamat, sermon: in Conv: S. Pauli.* Dum sacerdos in peccato celebrat, *vis infertur Corpori Domini; & ore, & manibus in Dominum delinquimus: S. Cypr: serm: de lapsis. Qui sacra illa verba* consecrationis, *profert ore immundo, in faciem Salvatoris spuit; & cum in os immundum sanctissimam carnem ponit, eum quasi in lutum proiicit. Petr: Comestonus ap. Biblioth: PP. tom: 24.* Sed quid dico in lutum proiicit? Scelestius

 imo

imo agit, sacerdos celebrans in peccato, argumentatur Theophilactus. *Lutum non adeo indignum est corpore divino, quam indigna carnis tuæ impuritas!* o! sacerdos! *Maius hoc peccatum est, quam si proiiceretur Corpus Christi in cloacam. S. Vincentius Ferrer.* Idem fere & S. Thomas à Villanova. *Quantum flagitium in spurcissimam tui corporis cloacam, Christi sanguinem proiicere! In Conc: de Corp. Christi.*

6. Sacerdos in peccato celebrans, semper gravissima afficit Deum iniuria. *Aliud* enim *est, promulgata edicta negligere, aliud ipsum Regem, proprio manus iaculo sauciare. Deterius nemo peccat, quam sacerdos, qui indigne sacrificat. Aliter enim quocumque modo peccantes quasi Dominum in rebus eius offendimus; indigne vero sacrificantes, velut in personam eius manus iniicere non timemus, S. Petr: Dam: Ep: 26. c. 2.* Grande fuit peccatum Judæ Iscariotis, iniicientis manus in Christum; sed gravius, sacrilege celebrantium. S. Augustinus. *Gravius peccant indigne offerentes Christum, regnantem in cœlis; quam qui Eum crucifixerunt, ambulantem in terris. In Psalm: 67. 22.* Non cogno-

cognoverant enim Judæi Redemptorem, ut cognoscunt sacerdotes. *Semel Judæi,* Tertullianus ait, *de Jöel cap. 7. Christo manus intulerunt, isti quotidie manus lacessunt. Oh! manus præcidendæ!* Docent SS. PP. quod sacerdos sacrilege celebrans, quatuor committat peccata mortalia. 1. Consecrat in peccato. 2. Communicat in peccato. 3. ministrat in peccato. 4. Dat indigno sacramentum, scilicet sibi ipsi. Vide plura, *in opere nostro morali, libr. 6. num: 35. Hinc dicimus.*

7. Insurrexerat D. Hieronymus in Sabinianum Diaconum, accedentem ad altare in peccato, dicens: *Miser, nonne caligaverunt oculi tui? lingua torpuit? conciderunt brachia? Ep. 1. ad Sabinian. Multo dæmonio peior est, qui peccati conscius accedit ad altare. S. Chrysostomus.* Dæmones, ad præsentiam Christi, contremiscunt, ut revelatione compertum D. Theressæ, duos adstare dæmones consecranti in peccato; & prolatis verbis consecrationis per sacrilegum, exhorruisse. Dixerat Christus tunc Divæ huic: *Cerne o! Theresia, bonitatem meam, cum tradi concedam in manus* ini-

inimicorum meorum. In vita Divæ Thereſſæ. Exhorrent dæmones præſentiam Jeſu; & ſacerdos in peccato, audet Eundem Dominum contrectare? Dominumque ſuum & Redemptorem conculcare? Etenim, *quando quis in miniſteriis peccatum fecerit, nonne eum conculcavit? Chryſ: Hom; 20. in Liturg.* Attendite dicentem Apoſtolum Paulum: *Quanto magis deteriora putatis mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt? Hebr: 10. 29.* Ergo, *ad cuius conſpectum columnæ cœli contremiſcunt.... & univerſa terra, & omnia quæ in ea ſunt, commoventur. Job. 26. 11. Audet vermis terræ,* ſanguinem Filii Dei conculcare?

8. Ah! quæ maior ruina accidere ſacerdoti poteſt, quam cum mutat ſalutem in damnationem, ſacrificium in ſacrilegium, vitam in mortem? *quam perditus ergo eſt,* Petrus Bleſenſis inquit, *qui redemptionem in perditionem, qui ſacrificium in ſacrilegium, qui vitam convertit in mortem? Verbum B. Hieronymi eſt: Perfidus Judæus, perfidus Christianus, ille de latere, hic de calice ſanguinem Christi fundit.* Conqueſtus die quadam

quadam Chriſtus Brigittæ ſanctæ: *Corpus meum amarius hi crucifigunt, quam Judæi. Revel. l. 4. c. 133. Næ ſi peccatis obnoxii offerunt, eorum oblatio, fit quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris. Durandus de Rit. l. 2. c. 42. §. 4.*

9. O fraudem maximam! Ecce quomodo conqueritur de ea Chriſtus, per os Davidis: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, ... Tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. Pſalm: 54. 13.* Deſcriptus hic egregie ſacerdos, in peccato ſacrificium offerens. Si inimicus meus, dicit Dominus, offendiſſet me, ſuſtinuiſſem utique; ſed tu mihi id feciſti, amice meus, Familiaris meus, Miniſter meus, Princeps populi mei; tu, quem toties cibavi carne mea, dæmoni te dedis, ut ſatisfacias tibi tanquam beſtia, ob modicum terræ, ob modicum pulveris! nuntiat Dominus D. Brigittæ: *Tales ſacerdotes, non ſunt mei ſacerdotes, ſed veri proditores; ipſi enim me vendunt quaſi Judas, & me produnt. Rev. l. 1. c. 47. Juda* imo *proditore deteriores effecti, eo quod ſicut ille tradidit Deum Judæis,*

Judæis, ita isti tradunt diabolis; eo quod Illum ponunt in loco, sub diaboli potestate constituto. S. Bernardus Serm: 55. ar: 1. cap. 3. Considerat Petrus Comestor. quod cum sacerdos sacrilegus accedit ad altare, dicens: *Aufer à nobis quæsumus Domine, iniquitates nostras &c.* & osculatur altare, exprobrat ipsi Redemptor aiens: *Juda, osculo Filium hominis tradis? nonne potest Christus adstare & dicere* hæc? *Serm: 42. in Synod.* Et cum extendit manus, ut communicet. *Tunc Christus, dum traditur dicit: Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Ita *in eis qui peccant, nec sacrosancta mysteria contingere verentur, totus dæmon se insinuat... quod & in proditore quoque fecit. S. Isidorus Ep. 364. ad Himmalmon.*

10. In manu peccatoris sacerdotis, dicit Dominus Brigittæ Sanctæ, *Sangvis meus plus clamat vindictam, quam sangvis Abel.* Quanto horrore abominatur Deus, ipsique Angeli, videntes in peccato celebrantem sacerdotem! Revelavit Dominus hunc horrorem, cuidam Servæ Dei sorori venerabili Mariæ Crucifixæ Palmensi, in Sicilia, anno 1688, ut est in eius vita *l. 3. c. 5.* sequenti

sequenti modo. Audivit Ven: Virgo, tubæ clangorem, cum vocibus istis: *Ultio, pœna, dolor,* quæ in universum intonuit orbem. Mox multum sacerdotum sacrilegorum numerum, confuse psallentium; quorum unus, missæ se accinxit celebrandæ. Et cum vestibus se sacris indueret, tenebris & luto templum Domini impletum. Quando autem accedebat ad altare, inchoaturus: *Introibo ad altare Dei;* repetiit tuba sonum: *Ultio, pœna, dolor.* tunc operuit flamma altare, denotans furorem Dei in indignum; Angeli mucronibus strictis, astiterunt, tanquam vindictam exposcentes de sacrilego. Pervenientem ad consecrationem, ab altiori, plurimi ictus flammæ repellebant, qui remorsum conscientiæ significarunt, & stimulos internos. Verba consecrationis cum proferret, universus orbis, terræ motu perstrepuit, ut putaret commotum de cardinibus suis cœlum, terram, infernumque. Facta consecratione, mutatam advertit scænam; vidit enim Jesum, tanquam mutum agnellum, descendere in manus rapacis lupi. In communione, deprehendit iterum motum

tum terræ, & quasi ruiturum de fundamentis templum. Vidit Angelos amarissime flentes; admirata Virginem Mariam afflictam ex morte Filii sui & peccatoris sacerdotis. Postque, venerabilis, tanto dolore & fletu correpta fuit, ut vix ad se venerit. Addit auctor vitæ, quod eodem anno 1688. ingens terræ motus, Neapolim universamque regionem perterruit. Quocirca, infert eum accidisse, ex ratione missæ sacrilegæ.

11. Quam tremenda horrendaque imago, videre quod *lingva, quæ vocat de cælo Filium Dei, contra Dominum loquitur; & manus, quæ intinguntur sanguine Christi, polluuntur sanguine peccati!* S. Aug. Serm: 39. tract. ad Erem. *Quando ergo peccare volueris, quære aliam lingvam, quam eam, quæ rubescit sanguine Christi; alias manus, præter eas, quæ Christum suscipiunt.* S. Bernardus Sermon: in die Passionis. Utinam hi sacerdotes, nollent esse inimici Dei! utinam abstinerent à sacrificio missæ! Sed heu! ne perdant stipendium, ne frustrentur floreno, audent tam rem horrendam exercere! *Accedunt, non vocati à Deo, sed impulsi*

impulsi ab avaritia. S. Bonav. de præp: ad miss. c. 8. *Numquid* ergo *carnes sanctæ, auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Serm: 11. 15. super Jerem: Reus fit sacrosancti corporis, dignior pœna severiori. *Excusatione enim caret, qui facinus, ipso Iudice teste, committit.* S. Chrys. Serm. 26.

12. Quam pœnam etiam severissimam non meretur, loco ignis amoris, portans ad altare flammam peccati, fuliginem sceleris? in memoriam revocans, pœnam filiorum Aaron, D. Petrus Damiani, *in cap.* 10. *Lev.* scribit: *Cavendum est, ne alienum ignem, hoc est, libidinis flammam, inter salutares hostias, deferamus. Quisquis,* addit S. Pater, *carnalis concupiscentiæ flamma æstuat, & assistere altaribus non formidat, ille procul dubio Divinæ ultionis igne consumitur.* ibid. c. 13. *absit, ut aliquis, huic idolo,* impuritatis *substernatur, & Filium Virginis, in Veneris templo suscipiat. Idem Serm: 61. in vigil: Nativ: Dom: Quid illi sperandum, qui cælestibus tricliniis intromissus,* imo mensæ Divinæ admotus, *non modo non est spiritualis indumenti decore conspicuus, sed ultro etiam fætet, sordentis luxuriæ squallore perfusus?*

perfusus? Idem: Opus 18. Diss. 1. c. 4. Væ ei, qui se alienum fecerit ab eo; et multum væ ei, qui immundus accesserit ad altare. *S. Bernardus lib. de Ord: vita.* De tali quodam sacerdote, dixerat Dominus D. Brigittæ: *Ingredior ad sacerdotem istum ut sponsus; egredior ut Iudex, iudicaturus contemptus à sumente. Revel: lib. 4. cap 92.*

13. Si non metuunt accedentes ad altare sacerdotes peccatores, tantam iniuriam seu iniurias Deo facientes; metuant ergo pœnam gravissimam, quæ eos manet; quia *Væ sacrilegis manibus! væ pectoribus immundis impiorum sacerdotum! omne supplicium, minus est delicto, quo Christus contemnitur in hoc sacrificio. S. Thom: à Villan: Conc:* 3. *de sanct. altaris. Maledicti sunt in cœlo et in terra, et ab omnibus creaturis, quia ipsæ obediunt Deo, et ipsi spreverunt. de S. Brig. apud Mans. Videmus sacerdotes, abutentes vasis sacris; ipsi* enim sunt vasa sacra, ut supra; *sed prope est manus illa,* Balthasari decreta, *et scriptura terribilis: MANE, THEKEL, PHARES; numeratum, appensum, divisum. S. Petr: Dam: de cœl: sacr: cap. 3.* scilicet: *Numeratum.* Unum

Unum sacrificium sacrilegum sufficit, ut amputentur gratiarum Divinarum fontes; *Appensum*, sufficit nimirum, ad præponderandam bilancem Iustitiæ Divinæ, in æternam damnationem sacerdotis; *Divisum*, Deus indignatus hoc uno peccato, separat in æternum à se sacerdotem. Et ita, *Fiet mensa eorum, coram ipsis, in laqueum. Ps. 68. v. 23. 25.* Hocce altare, in mancipium perpetuum diaboli vendit. *Sumentes* etenim *inde, præ cæteris delicta graviora committunt, et pertinaciores in malo sunt. S. Laur: Justin: Serm: de Euchar: n. 9.* Dicta hæc sunt, secundum verba Pauli Apostoli: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. 1. Cor: 11. 29.* Quocirca exclamat S. Petrus Damiani *de cœl: sacr: cap. 3. O! sacerdos, qui debes offerre, noli prius te ipsum maligno spiritui, victimam immolare.*

CAPUT

CAPUT VIII.

De Peccato Scandali.

I.

VItiosos Deos, spurcitiisque obnoxios, excogitavit spiritus immundus, ut ad eadem facilius hominum corda pertraheret. Quemadmodum fatetur, ipse Paganorum quidam scriptor: *Ut pudor peccandi ab hominibus demeretur*, excogitarunt scelestos Deos; *quid enim est aliud, auctores vitiorum facere eos, [Divos] quam dare exemplo divinitatis, excusatam licentiam? Seneca de vita beata, cap: 26.* Unde miseri, prorumpebant in verba hæc: *quod divos decuit, cur mihi turpe putem? Idem, ibidem.* Quod ficta Deitas efficiebat in gentilibus, Dæmon id per sacerdotes discolos ac peccatores, efficit in Christianitate. Sacerdotes enim alii videntes peccantes, audacius Deum offendunt, legemque eius violant. *Persvadent sibi id licere, quod*

quod à suis Pastoribus fieri conspiciunt; et audentius perpetrant. S. Gregorius Pastor. p. 1. c. 2. Sacerdotes sunt in mundo, ut exemplo præeant aliis: Mandat Christus: *Sicut me misit Pater, ita et ego mitto Vos. Ioan. 20. 21.* Unde D. Hieronymus ad quendam Episcopum scripserat: *Cave ne committas, quod qui volunt imitari, cogantur delinquere. Epist. ad Eliod.*

2. Peccatum scandali, non in eo consistit, ut consiliô tantum incitetur alius ad malum; sed in hoc, quod sit *dictum aut factum minus rectum, præbens alteri ruinam.* Ita à D. Thoma, & aliis Doctoribus communiter definitur. Ad cognoscendum, quantæ sit malitiæ peccatum scandali, aduertenda verba D. Pauli, quod scandalum præbens proximo, Deum summum bonum offendat. *1. Corinth. 8. 10. Peccantes enim in Fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Rationem huius adiungit D. Bernardus, scandalosus facit perdi animam, redemptam sanguine JESU Christi. Et *si Dominus, proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum; non tibi videtur,*

tur, graviorem persecutionem sustinere ab illo, qui scandali occasione, auertit ab eo animas, quas redemit, quam ab eo, qui sangvinem suum fudit? S. Ber. ser. in Conv. S. Pauli.

3. In quocunque sæculari, scandalum est detestabile; quantæ ergo sit malitiæ, in sacerdote, inferamus. Sacerdos est sal terræ, lux mundi: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Matth. 5. 13. 14.* Sal, conservat à corruptione res. Sacerdos, conservare debet animas, in gratia Dei. *Itaque, si sal infatuatum erit, in quo salietur? Qui erunt homines, per quos à Vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errores auferat cæterorum? S. Augustinus, l. 1. de serm. Domini cap. 6. Ergo ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Idem, ibidem.* Quid si sal, loco conservationis, corruptionem inducit? Volui dicere, si loco huius, ut salvet animas, easdem perdit æterne?

4. Vocatur Sacerdos *lux mundi: splendore* ergo *vitæ, totum illuminantis Orbem, splendere debet animus sacerdotis.* Sed si hæc lux mutatur in tenebras, quid erit in mundo? quæ ruina eius non accidet? *Causæ*

Causæ sunt ruinæ populi, sacerdotes mali. S. Greg. l. 14. c. 64. Idem *Ep. 48.* ad quendam Episcopum Franciæ, exhortans, ut puniat sacerdotum scandala. *Ne paucorum facinus, multorum possit esse perditio; nam ruina populi, sacerdotes mali.* Dixerat Oseas Propheta *5. 9. Et erit sicut populus sic sacerdos.* Ait Dominus per os Ieremiæ: *31 14. Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus, bonis meis adimplebitur.* Post quæ D. Carolus Borrom. *Si sint pingues sacerdotes, virtute divites, erunt populi pingues; si sint inanes, magna immanebit populis paupertas.*

5. Scribit, Parisiis, Thomas Cantip. dæmonem per ænergumenum nuntiasse hæc: *Principes tenebrarum, Principes Ecclesiæ salutant, & læti gratias deferunt, quia per eorum negligentiam, ad nos devolvitur pene totus mundus. Cantip. l. 1. c. 29. n. 9.* Quapropter, conqueritur Dominus per Jeremiam: *Grex perditus factus est populus meus; pastores eorum seduxerunt eos. Jerem. 5. 6.* Non est remedium, cum pastor in devia currit, ne & grex ruat. *Cum pastor per abrupta graditur, consequens est, ut ad præcipitium*

pitium grex feratur. S. Greg. Paſtor. p. 1. c. 2. Miſera ſacerdotum conuerſatio, plebis ſubverſio eſt. S. Bernardus in Conv. S. Pauli. Sacerdotis, vita mala perdit plures, ſæcularis, unum ſolum, qui peccat. *Si quis de populo deuiat, ſolus perit; Verum Principis error multos involvit; & tantis obeſt, quantis præeſt. S. Bernardus Epiſt. 127.* Mandauit Dominus *Lev. c. 3. v. 14.* ut integer vitulus offerretur, pro ſacerdotis peccato, uti pro univerſo populo. Unde Innocentius III. intulit: Igitur *peccatum ſacerdotis, totius multitudinis peccato coæquatur; quia ſacerdos in ſuo peccato, totam facit delinquere multitudinem. Si ſacerdos enim, qui unctus eſt, peccaverit, delinquere facit totum populum. Lev. 4. 3.* Nolite ergo, S. Auguſtinus, *Cælum claudere: clauditis, dum male vivere oſtenditis.* Revelavit Dominus, D. Brigittæ, quod *viſó exemplo pravó ſacerdotum, peccator fiduciam peccandi ſumit, & incipit de peccato, quod prius reputabat erubeſcibile, gloriari. Rev. l. 4. c. 32. Ideo ipſis,* concludit *Dominus, erit maledictio præ aliis, quia ſe vita ſua perdunt, et alios. Ibidem.*

6. Scribit auctor imperfecti operis: Videns

Videns hortulanus ſiccas frondes, coniicit de radicum putredine. *Vidit arborem, pallentibus foliis marcidam, et intellexit, quia læſuram in radicibus habet; ita cum viderit populum irreligioſum, ſine dubio cognoſcit, quia ſacerdotium non eſt ſanum. Homil. 38. in Matth.* Vita ſacerdotum eſt radix, ex qua participant ceu rami fideles. Chryſoſt. Et Ambroſius: *Capita ſunt ſacerdotes, rami ſæculares. Super Iſaiæ: Omne caput languidum à planta pedis, usque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Iſidorus dicit: *Caput languidum, eſt doctor agens peccatum; cuius malum ad caput pervenit. l. 3. c. 36.* Quocirca plangit S. Leo: *Totius familiæ ordo nutabit, dum quod requiritur in corpore, non invenitur in capite.* Et S. Bernardus: *Quis in cœno fontem requirat? an idoneum putabo, qui mihi det conſilium, qui non dat ſibi? ad Cæcil. c. 20.* Plutarchus de exemplo malorum Principum, ait: quod *hi, non in unum ſolum calicem venenum ponunt, ſed in fontem, quo videntur omnes uti.* Aptius id dicendum de ſacerdotibus. Unde Eugenius III. Pontifex Romanus: *Inferiorum culpæ, ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides Re-*

ctores

ctores. *Apud S. Bernardum libr. 3. de Cons. Cap.* 434.

7. Sacerdotes vocat S. Gregorius *Patres Christianorum.* Etenim, *quasi totius mundi Sacerdos Pater est; dignum igitur est, ut omnium curam agat, sicut et Deus, cuius fungitur vice. Chrysostom. Hom. 6. in Ep. 2. ad Tim. 1.* Et sicut Patres, præbentes filiis malum exemplum, dupliciter peccant, ita sacerdotes. *Quid faciet* ergo *laicus*, verba Petri Bles. *nisi quod Patrem suum viderit spiritualem, facientem? Serm. 57. ad sacerd.* De eodem, D. Hieronymus, admonet quemdam Episcopum, (*ad Eliod. ep. 8.*) *Quidquid feceris, id omnes sibi faciendum putant.* Peccant Laici, qui vident peccantes sacerdotes. *Quid non talia Clerici, maiorisque ordinis, faciunt?* B. Cæsarius observat. S. Augustinus, inducit Laicum se excusantem: *Quid mihi loqueris? ipsi Clerici nonne istud faciunt; et me cogis ut non faciam? de Verb. Dom. serm. 49.* Sacerdos, loco ædificationis scandalisans, quodammodo peccatum honorare facit. *Pro reverentia Ordinis, peccatum honoratur. S. Greg.*

8. *Quibus quotidie percussionibus, intereat populus videtis; cuius hoc, nisi sacerdotum peccato agitur? Nos populo autores mortis existimus, cui esse debuimus duces ad vitam. Idem hom. 17. in Evang.* Dicunt nonnulli: Quid mea interest; ego respondebo pro meis, non aliorum peccatis. O! cæci! o! miseri! Auscultent D. Hieronymum aientem: *si dixeris; Sufficit mihi conscientia mea; non curo quæ loquantur homines; audi Apostolum scribentem: Providentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 2. Cor. 8. 4.* Sacerdotes scandalisantes, produnt se & alios. *Non parcunt suis, qui non parcunt sibi; perimentes pariter et pereuntes. S. Bernard. serm.* 77. *in Cant.* Idem alio in loco: *Multi sunt Catholici prædicando, qui sunt hæretici operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciebant plures hodie, per mala exempla; et tanto graviores sunt hæreticis, quanto prævalent opera verbis. Ad Pastor. in Syn.*

9. Ut discantur vitia vel virtutes, Seneca ait, *longum iter per præcepta, breve per exempla.* Quapropter, scribit August. commendans sacerdotibus Castitatis virtutem,

ferm. 249. de Temp. *Omnibus castitas per-necessaria est, sed maxime Ministris Christi, quorum vita, aliorum debet esse prædicatio. Et qui es prædicator castitatis, non te pudet servum esse libidinis! S. Petr. Damiani. opus. 17. c. 3.* *Clamat vestis Clericalis, clamat status Professi, animi sanctitatem. S. Hieronym. Ep. 58.* *Nemo in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens, nomen, vel Ordinem sanctitatis habet.* *Dicit S. Gregor.* Magnus horror, subiungit Isidorus, sacerdoti, dum deprimit dignitatem suam. *Sacerdotis dignitate, velut armis, abuti ad vitium. lib. 2. Ep. 21.* *Abominabilem fecisti decorem tuum,* o! sacerdos *Ezech. 16. 25.* Sacerdotes non præbentes bonum exemplum, *fabula omnibus sunt: S. Bernard. de Conf. l. 4. c. 6. Quomodo non sit confusio, sacerdotes inferiores esse laicis, quos etiam esse æquales laicis, magna confusio est? Auctor imperf. Op. h. 3.* Populus, *ne quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur offendat. S. Ambrosius.*

10. *Audite hoc sacerdotes, quia Vobis iudicium est, quoniam facti estis laqueum speculationi, & rete expansum. Osee 5. 1.* Aucupes pandentes retia, aviculam in cavea includunt, ut ita alias facilius pertrahat, cantu suo; ita dæmon, scandalo sacerdotis homines ad æternam damnationem pertrahit. *Cum primum fuerit capta anima sacerdotis, ad alias decipiendas fit quasi laqueus. Ephrem. conqueritur* Dominus: *Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros. Jerem. 5. 26.*

11. Testantur auctores, quod antiquitus deprehenso Clerico in platea, commendabant se Fideles, eorum orationibus, cum omni reverentia. Acciditne idem, præsentibus temporibus? Ah! *quomodo obscuratum est aurum. mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum? Jerem. 4. 1. & sequ.* Explicant hunc textum Hugo Cardin: S. Hieron: & Greg: *Aurum quippe obscuratum, quia sacerdotum vita, per actiones offenditur reproba; color optimus est mutatus, quia sanctitatis habitus, per obiecta opera, ad ignominiam despectionis venit. Dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum. Ecce iam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent!*

12.

12. *Filii matris meæ, pugnauerunt contra me. Cant. 16.* Exponit hæc verba Origenes de ſacerdotibus, qui per ſcandala inſurgunt in matrem Eccleſiam. *Propter vitia enim ſacerdotum, Dei ſanctuarium deſtitum eſt. S. Hieronym. Ep. 48.* Quocirca S. Bernardus ſuper textum Ezechiæ, *Ecce in pace, amaritudo mea amariſſima,* in perſona loquitur Eccleſiæ: *Pax à paganis, pax ab hæreticis, & non eſt pax à filiis. ſerm. 3. in Cantica. Nullum ab aliis puto maius præiudicium Deus tolerat, quod eos, quos ad aliorum correptionem poſuit, dare exempla prauitatis cernit. S. Gregor. Hom. 17.* Per malum exemplum ſuum, diffamatur miniſterium ſacerdotum, ſacri ſermones, miſſæ abſolutæ, confeſſiones exceptæ, Sacramenta diſtributa; Quacirca admonet Apoſtolus, *nemini dantes ullam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum; ſed in omnibus exhibeamus nosmetipſos, ſicut Dei miniſtros. 2. Cor. 6. 3. In nobis, ſacerdotibus,* verba Salviani *lib. 4. ad Eccles. Cath. lex Chriſtiana maledicitur. Plurimi conſiderantes, ſceleratam Clerici vitam, & ex hoc vacillantes, imo multoties deficientes in fide, vitia non*

non evitant, ſacramenta deſpiciunt, non horrent inferos, Cæleſtia minime concupiſcunt. S. Bernard. de 12. Pæn. Imped. ſerm. 19.

13. De Infidelibus habet D. Chryſoſtomus, quod dum vident præcipue ſacerdotes peccantes, mirantes dicant; *Qualis eſt eorum Deus, qui talia agunt? Numquid ſuſtineret eos, ſcilicet ſacerdotes, talia facientes, niſi conſentiret operibus eorum?* Fuſcius erit, in *inſtructione* de quodam hæretico, qui iam iam abiuraturus ſectam, audita præcipitanter à quodam ſacerdote abſoluta miſſa, reſiliit à propoſito. *Veteres ſcrutans hiſtorias,* D. Hieronymus ſcribit, invenire non poſſum, ſcidiſſe Eccleſiam, & populos ſeduxiſſe, præter eos, qui ſacerdotes à Deo poſiti ſunt: *in Canon: Transferunt 33. 24. qu. 3.* Petrus Bleſenſis: *Propter negligentiam ſacerdotum, hæreſes pullularunt. ſerm. 50. ad ſac.* Et alio in loco: *Propter ſacerdotum peccata data eſt in conculcationem & in opprobrium, S. Dei Eccleſia. Serm. 60. in c. 5. Osee. Serpit hodie pudita tabes, per omne corpus Eccleſiæ & quo latius, eo deſperatius, quo inimicus eſt interius. Nam ſi inſurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras; ſi violen-*

violentus inimicus, absconderet se ab eo. Nunc vero quem eiiciet, aut quo abscondet se? Omnes necessarii, & omnes adversarii. Serm. 33. in Cant. S. Bernard.

14. Quam grandis pæna manet sacerdotes scandalo! Etenim si quisquis sit sæcularis scandalisans, *væ tamen illi homini per quem scandalum venit. Matthæi 18. 7.* Quid ergo huic, quem in Ministrum suum *elegit* Deus *ex omni carne? Eccl. 45. 4.* Christusque elegerit? *Elegi vos, ut eatis & fructum afferatis. Joan. 15. 16.* Et ii malo exemplo perdunt animas! Igitur, *tot mortibus digni sunt, si perversa perpetrent, quod ad subditos exempla transmittunt. S. Gregor. Pastor. p. 3. admonit. 5.* De sacerdotibus loquens Christus D. Brigittæ, ait: *Ipsis erit maior maledictio, quia se vita sua perdunt, & alios.* Commisit Dominus vineam suam sacerdotibus, *Malos igitur male perdet, & vineam suam, locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Matth. 24. 41.* In die iudicii, dicit Omnipotens, *occurram iis, quasi ursus raptis catulis Osee 13. 8.* Uti ursa raptis catulis, ira æstuans ruit in venatores, ita Judex supremus, ulciscetur

interitum animarum, super Sacerdotes. *Si pro se unusquisque*, verba Augustini S. *vix poterit in die iudicii rationem reddere; quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus omnium animæ requirendæ? Hom. 7. alias ser. 15. in App. de div. Si sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo unusquisque pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem, pro omnium peccatis. S. Chrysostom. Hom. 38. in Matth.* Exprobrabunt ruriculæ, fæminæ, virgunculæ, sacerdotibus in Judicio Dei peccata eorum; eodem Divo testante: *Laicus in die iudicii, stolam sacerdotalem accipiet, sacerdos autem peccator, spoliabitur sacerdotii dignitate, quam habuit, & erit inter infideles & hypocritas. Chrysost. sive auctor operis imperf. Vide Hom. 40.*

15. Caveamus ergo, o! sacerdotes! animos, malis nostris exemplis, scandalizare; nos etenim, à Domino sumus constituti, ad salvandas eas. Non tantum igitur hæc caveamus committere peccata, quæ sunt illicita in nobis; sed etiam, quæ sunt noxia aliis; monente Apostolo Paulo: *Ab omni specie mala, abstinete vos. Thes. 5. 22.*

22. Quocirca, Concilium Agatense mandat: *Ut ancillæ à mansione, in qua Clericus manet, removeantur.* Habitare cum juvenculis, non solum occasio mali (aliter enim impossibile est) sed etiam species mali, siquidem inde alii scandalizari possent: *Caveamus, ne offendiculum fiat infirmis. 1. Cor. 8. 9.* Non sequamur mundi regulas perniciosas, scilicet: *Oportet crescere in hac vita. Beatus qui tenet pecuniam. Deus misericors est & patiens.* Certe scandalum non minorem exigit pœnam, ac vindicta. *Longe maius est, collaudare delinquentes, ac delinquere S. Chrysostomus Homil. 2. de Saul & David.* Qui scandalizat, vel speciem scandali facit, tenetur, inde emergens malum, exemplo bono resarcire.

CAPUT IX.

DE ZELO SACERDOTIS.

IMprimis agam de obligatione sacerdotis, procurandæ salutis animarum. 2. Quomodo id agens, placeat Deo. 3. De salute

salute æterna, & præmio, quod manet sacerdotem, sollicitum circa animarum salutem.

§. I.

De obligatione cuiuslibet sacerdotis procurandi salutem animarum.

Certum est, quod *multi* sunt *sacerdotes, & pauci sacerdotes: Multi nomine, pauci opere. Auctor imperf. Oper. in Matt.* ut satisfaciant suæ obligationi, & officio salvandarum animarum. Magna dignitas sacerdotum: sunt etenim coadiutores supremi numinis: *Dei sumus adiutores 1. Cor. 3. 9. Divinissimum* autem *est fieri cooperatorem, in conversione animarum. Dionysius Areopagita, de Cæl. Hierar. capite 3. Maius opus, ex impio iustum facere, quam creare Cælum & terram. S. Augustinus tractat. 62. in Ioannem.* Vocat sacerdotes D. Hieronymus *in Abd. 27. 22.* Salvatores mundi inquiens: *Sacerdotes Dominus voluit, mundi esse Salvatores. S. Prosper lib 2. de vita Cont: cap. 2. Dispensatores Regiæ Domus.* Jeremias, Piscatores & venatores. *16. 16. Ecce ego mittam Piscatores multos, dicit Dominus; & post*

hæc

hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. S. Ambrosius explicat hunc textum, scribens in *Psalmum 118*. Sacerdotes lucrari debent Deo, peccatores perditos, & liberare ab omni vitio. Per nomen *monte*, intelligitur superbia; *colle* pusillanimitas, *cavernis* mali habitus mentem obscurantes, & refrigerantes corda. *In opere creationis, non fuit qui adiuvaret Deum: in Mysterio vero Redemptionis voluit habere adiutores*; *Petrus Blesensis, Serm: 47.* Maior dignitas sacerdotum, Regibus, dicit S. Chrysostomus. *Regi, quæ hic sunt*, scilicet in terra; *commissa sunt; mihi Cælestia, mihi sacerdoti. Libro 1. de sac: c. 4.* Et Innocentius *3. p. c. Rom. Licet Beatissima Virgo dignior fuerit Apostolis, non tamen Illi, sed istis, Dominus claves Regni Cælorum, commisit.*

2. S. Petrus Damiani, appellat sacerdotem Tu o! sacerdos, *es Dux Exercitus Domini. De dignit. sacer.* S. Bernardus, *Sponsæ*, nimirum Ecclesiæ, *custodem serm. ad Cler:* S. Clemens, es sacerdos, *post Deum, terrenus Deus. Constit. Apost. lib. 2. cap. 26. Nihil*

hil honorabilius sacerdotibus, omnis enim salus atque spes, in eis est. S. Flavian. ep. 7. ad Leon. Papam. Parentes nos in præsentem, sacerdotes in vitam æternam generant. S. Chrysostomus de sacerd. cap. 5. Absque sacerdotibus, nulla Sanctorum congregatio. S. Ignatius Martyr. Epist. ad Trull. Et Judith: *Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex Vobis pendent animæ eorum, 8. 25. Jud.* Monet quocirca S. Clemens: *Honorate sacerdotes, ut bene viuendi Auctores. in Const. Apost.*

3. Magna certe dignitas sacerdotis; sed non minor obligatio, & officium circa animarum salutem. *Omnis namque, Apostoli verba, Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum; ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Qui consolare possit in iis quæ errant. Hebræor. 5. 1. et 2.* Constituti ergo sacerdotes, ut honorent Deum Sacrificio, & procurent salutem animarum, instituendo ignorantes, convertendo peccatores. *Regulæ sacerdotum, populus acquisitionis 1. Petri 2. Officium autem quæstus, non pecuniarum sed animarum. S. Ambrosius in caput 1. Isaiæ* Nomen ipsum sacerdotis, officium eius exponit.

ponit: *Sacerdos, id est: Sacra docens*; S. Antonius; & S. Thomas: *Sacerdos Sacrum dans 3. p. q. 22. Ar. 1.* Honorius Augustodunensis: *Presbyter dicitur præbens iter populo de exitu ad Patriam. In Josue 3. 6.* S. Ambrosius vocat sacerdotes *Duces gregis Christi. De Div: Sac: c. 2.* Igitur *nomen respondeat actioni; ne sit nomen inane, crimen immane. Detrimentum pecoris, ignominia* (sacerdotis) *Pastoris.* Correspondeat ergo omnino opus Presbyteri nomini eiusdem, ut procuret salutem animarum.

4. S. Hieronymus ait *Epist. 13. Si Officium vis exercere Presbyteri, aliorum salutem, fac lucrum animæ tuæ.* Et S. Anselmus: *Sacerdotis proprium est, animas de mundo rapere, et Deo dare.* Et ideo *de medio populi segregantur, ut seipsos et populos tueantur. Philipp: Abbas de dignit. Cler. cap. 2.* Ex amore zelus nascitur, ut docet S. Augustinus *in Psalm. 118. serm. 18.* Ut ergo in amore consistit caritas Dei & proximi, ita zeli procuratio in hoc omni, quod pertinet ad Dei gloriam, & proximi salutem.

5.

5. Nulla quocirca ratio ut dicas, sum sacerdos, non Curatus; sufficit ut me solum salvem. Omnis etenim sacerdos, curare omnino debet, ex vi sui Ordinis, animarum salutem. Multorum patiuntur animæ in quibusdam Regionibus, propter penuriam Confessariorum, ut probavi in Oper. Moral: libr. 6. num: 624. vers. Reg. 11. Simplex adeoque sacerdos obligatur excipere Confessiones; & si non est habilis, omnino ut se reddat habilem, curare debet. Scribit P. Pavo, Soc: Jesu, & non sine ratione, DEUS misit JESUM Christum, ad salvandas animas, in mundo universo; Christus autem, ad convertendos peccatores, misit sacerdotes. *Sicut Me misit Pater, et ego mitto Vos Joannis 20. 21.* Mandat Concilium Triden. *Sess. 24. c. 24. Ad ministranda Sacramenta, idonei comprobentur*, ad sanctificandas animas, ordo constitutus. *S. Thomas in Symbol: 934. Ar. 1. Ideo posuit Ordinem in ea, ut quidam, Sacramenta aliis traderent.* Ad administrandam Pænitentiam, constituti sacerdotes, differit S. Chrysostomus. Prolatis verbis: *Sicut me misit Pater, &c. Hæc*

 cum

cum dixisset, insuflauit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Officium ergo singularius, absolvere à peccatis; ad id se habeat sacerdos, aptum & idoneum se efficiat, ne exprobretur ei; ut Paulus Apostolus: *Adiurantes autem exhortamur, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis. 2. Cor. 6. 1.*

6. Sacerdotes constituti sunt, ut *sale condiant animos, ad incorruptionis sanitatem.* Ven: Beda. *in Matth.* Sed si Sal evanuerit, ad nihil valet ultra, *nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Matth. 5.13. Quasi Pater totius Orbis sacerdos est; dignum igitur est ut omnium curam agat, sicut & Deus, cuius fungitur vice. S. Chysost. Hom. 6. in Ep. 1. cap. 2. ad Timoth.* Sacerdotes constituit Deus, ceu medicos, ad curandam animarum infirmitatem. Origenis verba: *Medicos animarum.* Hieronymi: *Medicos Spirituales.* Quocirca *Medicus si fugit ægrotos, quis curabit? S. Bonav. de sex alis etc. c. 5.* Plura Sacerdotes, sunt muri Ecclesiæ. *Habet Ecclesia muros suos, id est Viros Apostolicos; dicit S. Ambrosius, et Auctor Imperf. Operis Hom. 10. Muri illius,*

sunt

sunt sacerdotes. Lapides sanctuarii. Thr. 4. 1. Et à S. Eucherio appellati *Columnæ, quæ nutantis Orbis statum sustinent. Hom. 3.* Denique, à D. Bernardo, *Domus Dei. Si ergo fuerit pars Domus corrupta, facilis reparatio. S. Chrysostomus Hom. 47.* Sed si muri cedant, Columnæ aut fundamenta ruant, reparatio difficillima. Adhuc à D. Chrysostomo, Sacerdotes dicuntur *Coloni, populum quasi vineam colentes. Hom. 40. in Caput 2. Matth:* Heu! *Agricolæ arant, putant & fodiunt vinitores, & sacerdotes, positi à Deo in vinea Eius, torpent otio, madent deliciis. S. Bernardus de Sac.*

7. *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Matth: 9. 37.* Non sufficiunt Episcopi & Parochi, ad necessitatem spiritualem populi. In Apostolis 12. figurabantur Episcopi, in aliis Discipulis 72. reliqui sacerdotes, constituti omnes ad saluandas animas. Fructum requirit à sacerdotibus Deus: *Elegi Vos, ut fructum afferatis.* Et ideo eos Augustinus vocat Administratores Dei; *eorumque quæ Dei sunt negotiatores serm: 36.* Sacerdotes positi sunt à Domino, ut extirpent vitia, & perniciosas populi

puli

puli opiniones; plantent vero virtutes. *Ecce constitui te hodie super gentes & super Regna, ut evellas & destruas, & ædifices & plantes. Jerem: 1. 10.*

8. Ignoro prorsus, quomodo excusari potest sacerdos à culpa, non iuvans animas, non instruens in veritate fidei, non prædicans Verbum Dei, sinens Confessiones excipere: in die certe Judicii, non erit liber ab exprobratione in servum inutilem, iuxta illud apud *Matth: c. 25. abscondi talentum tuum in terra; ecce habes quod tuum est.* Dicet ad hæc Dominus: *Tollite ab eo talentum, & date ei qui decem habet talenta; & inutilem servum, proiicite in tenebras exteriores.* Per tenebras, interpretes, D. Ambrosius & alii, uti Calmet, Cornelius à lapide, Turinus; intelligunt Infernum. *Notent* ergo *hoc*, Cornelii verba, *qui ingenio, Doctrina, aliisque dotibus sibi à Deo datis, non utuntur ad suam, aliorumque salutem, ob desidiam vel metum peccandi; ab his enim, rationem reposcet Christus, in die iudicii. Audiant*, S. Gregorius ait, *quod talentum qui erogare noluit, cumsententia damnationis eiicitur. Petrus Bles. de Hist. Ep.*

Qui

Qui Dei donum, in utilitatem alienam communicat, plenius meretur habere quod habet; qui autem talentum Domini abscondit, quod videtur habere, auferetur ab eo. Neque mihi id persuasi, salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi sui salute, nihil laboris impenderit. S. Chys. libr. 6. de sac. cap. 10. Et mentionem de parabola agens, addit: *Neque juvabit, talentum sibi traditum, non imminuisse; imo hoc ille nomine periit, quod non auxisset.* S. Augustin: de his dicens, qui dictitant: *Sufficit mihi anima mea;* exclamat: *Eia! non tibi venit in mentem, servus ille, qui abscondit talentum?*

9. *Ille, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, & tamen, perdite viventes arguere, aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit; & quid ei prodest, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? S. Prosper. sive Jul. Pomer. de Vita Cont. l. 1. c. 20.* Legimus in Canone 57. Apostolico hæc: *Presbyter, qui Cleri vel populi curam non gerit, segregatur; & si in socordia perseveret, deponatur. Quâ Conscientia, honorem sibi præstitum sacerdotii vendicant, qui pro animabus non laborant? S. Leo.*

S. Leo. Concilium Coloniense Decreto suo agit: *Sacerdotio initiandus, non alio affectu accedere debet, quam ad submittendos humeros publico muneri, vice Christi, in Ecclesia. Qui alio affectu, Sacros Ordines ambiunt, hos Scriptura lupos & latrones appellat ... Quod ingens ultio, tandem certo subsequetur.*

10. *Sacerdotes, populi iniquitate damnantur, si eos ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. S. Isidorus Hispal. libr. 3. Sent. cap. 46.* Et D. Joannes Chrysostomus: *Sæpe non damnantur* sacerdotes, *propriis peccatis, sed alienis, quæ non coercuerunt. Hom. 3. in Act.* S. Thomas docet Opuscul. 65. *Si enim sacerdos,* de quolibet sermo, *ex ignorantia vel negligentia, non exponat populo viam salutis, erit reus apud Deum animarum illarum, quæ sub ipso perierunt.* Idem Chrysostomus: *Si sacerdos, suam tantum dispofuerit salvare animam, & alienas neglexerit; cum impiis detrudetur in gehennam.* Sacerdos, Romæ proximus morti, magno timore concutiebatur; interrogatus cur id ageret, vitam ducens bonam, & religiosam? reposuit: timeo, nam parum addictus fui, curæ animarum salvandarum

darum

darum. Et non absque ratione id egit. Dicit enim Dominus, per os Ezech. 3. 18. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei ... ut avertatur à via sua impia, & vivat; ipse impius, in impietate sua morietur, sanguinem autem eius, de manu tua requiram. Ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. S. Gregorius Pastor. p. 1. c. 5.*

11. Emit JESUS sangvine suo animas, *Empti enim estis pretio magno. 1. Cor. 6. 20.* Has animas porro Deus, custodiendas sacerdotibus dedit. *Væ mihi misero!* exclamat D. Bernardus, *si depositum, quod Christus sangvine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire! S. Bernardus serm. 3. in Adv. Unusquisque pro suo peccato reddet rationem, sacerdos pro omnium peccatis. Auctor Imperf. Oper. Hom. 38. in Matth.* Dixerat Apostolus: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro Vobis reddituri. Heb. 13. 17. Quod alii peccant, ipsi,* scilicet sacerdoti, *imputatur. S. Chrys. Hom. 3. in Act. Apostol.* Unde Augustinus: *Si pro se in die Judicii, vix poterit unusquisque rationem reddere; quid de sacerdotibus futurum*

est.

eſt, à quibus ſunt omnium animæ requirendæ? Hom. 7. in Lucæ 11. S. Bernardus: *Bonum Vobis, o! mali* ſacerdotes, *erat, magis fodere, aut etiam mendicare; venient, venient mali Clerici ante Tribunal Chriſti, audietur quærela Populorum, quorum vixere ſtipendiis, nec diluêre peccata. S. Bernard. Declam. c.16.n.19.*

§. II.

Quantum placet Deo ſacerdos, attendens ſaluti animarum.

12. Intelligere ut melius poſſimus, quantum DEUS deſiderat ſalutem animarum, conſideremus opus Redemptionis. Expreſſit hæc Chriſtus dicens: *Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor, usque dum perficiatur! Lucæ 12. 50. Nihil ita gratum Deo, & ita curæ, ut animarum ſalus. Chrys. Hom. 3. in Genes. Nihil tam Deo gratum, quam operam dare, ut omnes reddantur meliores. S. Juſtinianus.* Revelaverat Dominus Bernardo à Coldano ſacerdoti: *Labora pro ſalute peccatorum, hoc enim præ omnibus, eſt mihi cariſſimum. App. Sabatin. Cler. Sent. p. 1. c. 4. ſect. 2. Diſſ. 3. Nihil aliud Domino eſt curæ, præterquam hoc ſolum*

opus

opus, ut homo ſalvus fiat. Clemens Alex. adm. ad Gentiles. Deum honorare conaris? non aliter melius, quam in hominis ſalutem, poteris, actitare. S. Juſtin. de contempl p. 2. n. 3.

13. *Totus iſte mundus, ad unius animæ pretium, æſtimari non poteſt. S. Bernard. in Medit. Et ſi ingentes erogaveris pecunias, plus effeceris, ſi unam converteris animam. S. Chrys. Aſſerit* Tertullianus: *Errat una Paſtoris ovicula; ſed grex, una carior non eſt.* Quocirca Apoſtolus: *Dilexit me,* inquit, *& tradidit ſemetipsum pro me Gal. 2. 20.* Chriſtus enim, *neque recuſaturus eſſet, ad unum hominem, tantam exhibere diſpenſationem.* Voluit Deus monſtrare, in Evangelio drachmæ amiſſæ! *Omnes angelos convocat, non homini, ſed ſibi ad congratulandum,* quod invenerit Drachmam, *quaſi homo, Dei Deus eſſet; & tota ſalus Divina, ab ipſius inventione dependeret, & quaſi ſine ipſo, beatus eſſe non poſſet. S. Thom. Opuſcul. 65.* Narrat auctor, de S. Carpo Epiſcopo, quod in revelatione vidiſſet quendam peccatorem, ſcandalizantem vitæ innocentis hominem; quem cum vellet præcipitare, in

bara-

barathrum cui adstabat, Christi audivit vocem: *Percute me, quia pro peccatoribus iterum paratus sum mori. Dedi vitam meam, & iterum sum paratus.*

14. Spiritus Ecclesiastici, *consistit praecise in ardenti studio, promovendi gloriam Dei et salutem proximi. Lud. Habert. de Sacr. Ordin. p. 3. c. 5.* Et Ideo, Natalis Alexander ait: *Quis ferat Presbyterum ordinari, ut sibi tantum, non aliis vacet? Theol. Dogmat. de Ord. cap. 3. Reg. 22.* Ordinaverat Dominus *Exodi 28.* ut sacerdos portet vestem inconsutilem, eique appenderentur circuli instar oculorum; per hæc quidam auctor, vult significari, continuam circumspectionem sacerdotis, circa salutem animarum. *Zelus, est effectus amoris; ergo qui non zelat, non amat, qui non amat, manet in morte. S. Augustin. in Psalm. 118.* Placet Deo, qui sui curam gerit, ast magis, qui aliorum. *Tu quidem in tui custodia vigilans, bene facis, sed qui juvat alios, melius facit. S. Bernard. serm. 12. in Cantica.*

12. *Nihil adeo declarat quis sit fidelis et amans Christi, quam si fratrum curam agat; hoc*

hoc maximum amicitiæ argumentum. Chrys. Hom. 31. ad Pop. Ant. Salvator, ter interrogans Petrum: *Simon Joannis amas me?* terno responso certus redditus, *dixit ei: Pasce oves meas. Joan: 21. 17.* Considerat D. Chrysostomus: *Poterat dicere: si me amas, abiice pecunias, jejunia exerce, super humum dormi, macera te laboribus: Nunc vero agit: Pasce oves meas. Lib. 2. de sac. c. 1.* Per verbum *meas*, S. Augustinus vult significari: *Sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in iis quære, non tuam, lucra mea non tua. tract. 131. in Joan. n. 5.* Animarum enim salutem quærere debet, non sua commoda. S. Theresia, legens vitas Martyrum & Operariorum salutis hominum, his magis invidebat quam illis; animadvertebat etenim, gloriam maximam Deo fieri, per conversionem peccatorum. S. Catharina Senensis, osculabatur pedum vestigia, sacerdotum, operariorum circa animarum salutem. Tanti zeli hæc Sancta Virgo fuerat, ut desideraret, seipsa fauces inferni obturare; Nos vero sacerdotes quid agimus? quid dicimus, videntes tam multas animas perditum iri?

16.

16. Sanctus Paulus, tanto ardore erga salutem proximi ferebatur, ut & à Christo seiungi ad aliquod tempus optaverit; ita hæc verba Apostoli apud interpretes sonant: *Optabam enim ego ipse, anathema esse à Christo, pro fratribus meis. Rom. 9. 8. Millies optaram ipse fieri cæcus, si per hoc liceret animas vestras convertere Chrys. Hom. 2. in Act. Apost.* S. Bernardus, protestabatur mortem oppetere, si posset, pro singulis peccatoribus. *Stim. Div. am. p. 2. c. 11.* S. Franciscus Salesius, inter Hæreticos existens tempore pestis, super trabem gelatam vere, flumen transiit, non cum sui periculo, ut lucrifaceret Christo animas. S. Cajetanus, Neapoli 1647. in maxima revolutione Regni, animarum interitum videns, dolore ingenti opprimebatur. S. Ignatius Loyola, cum moreretur, certus salutis suæ, dixerat, malle se incertum salutis suæ in terra esse, dummodo juvare posset animarum salutem. Sanctus Josephus Calasanctius, pedester ire ad longinquas nationes optaverat, nonagenarius quamvis, ut converteret hæreticos. En zelum animarum, in veris sacer-

sacerdotibus Christi; & nunc, minimum incommodum, timor, ægrotatiunculæ, removent à cura animarum sacerdotes. Verba D. Caroli Borromæi. Curatus Presbyter, suorum commodorum & sanitatis habens curam, non adimplere officium suum potest. Et addit: Non se accingat lecto, nisi post tertium paroxismum febris.

17. *Si Deum amatis, omnes ad amorem Dei rapite. S. Augustinus.* Vere amans Deum sacerdos, omnes invitat ad amandum Eum, cum Davide: *Magnificate Dominum meum, et exaltetur nomen Eius in idipsum. Psal. 33. 4.* Ex Ambone, ex Confessionali, per plateas iens, invitat ad amandum Deum. Fratres amemus Dominum, laudemus ore & corde Deum nostrum.

§. III.

De certitudine salutis animæ sacerdotis, laborantis circa animarum salutem; & de premio, quod eum manet in Paradiso.

18. Ut morte mala finiat vitam suam sacerdos, curam sollicitam gerens animarum, est sane impossibile. *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam reple-*

repleueris, orietur in tenebris lux tua, . . . & requiem dabit tibi Dominus, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit. Isaiæ 50. 10. Et ideo S. Augustinus: *Animam salvasti? animam tuam prædestinasti.* D. Jacobus Apostolus: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius,* scilicet ex græco textu: *suam convertens, à morte, et operiet multitudinem peccatorum. Ep. 5. 20.* Moriebatur Presbyter Soc: Jesu, lætus & gaudens, qui sua in vita omnem sollicitudinem, ad convertendas animas locaverat. Hanc nimiam lætitiam, cum viderent adstantes, placide moribundum monuerant; qui reposuit: Ut legitur in Menologio Societatis: Num servivi Machometo? Deo meo Jesu Christo servivi, qui est gratus & fidelis. S. Jgnatius Loyola, cum dixisset superius verba allata, & audisset quemdam sibi respondisse quod non sit salus propria in discrimen mittenda; reddit hæc verba: O! Pater! putasne Christum meum esse Tyrannum, qui me convertentem animas, in tenebris detruderet?

19. Jonathan, victoria potitus, cum

contra mandatum sui Patris, Saulis Hebræorum Regis, gustasset paululum mellis, mortis decretum in se audiuit. Tunc populus, clamore in aëra erupit: *Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in populo? 1. Reg. 14. 45.* Animæ salvatæ, pro sacerdote deprecabuntur Deum, dicens: Ergone sacerdos hic, qui fecit salutem hanc nobis, morietur morte æterna? Etsi Saul, donaverat vita filium suum, propter salutem in populo, certe Christus, Dominus misericors, citius exaudiet vocem animarum salvatarum. *A modo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. Apoc. 14. v. 13.* Magna certe consolatio, mori, Deo lucratis animabus. *Dulcis est somnus, operanti. Eccl. 5.* Sacerdoti, in convertendis animabus, pro gloria Dei.

20. Tanto celerius quis à peccatis suis absolvitur, quanto per eius vitam & linguam, aliorum animæ solvuntur. *S. Gregorius p. 2. stim. Pastor. cap. 2.* Convertentium peccatores, in Libro Vitæ nomina scripta, iuxta illud Apostoli *Ad Philip.*

4. 3. *Etiam rogo te Germane compar, adiuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in Libro vitæ.*

21. Quoad præmium manens sacerdotes, curam circa animarum conversionem gerentes, ex Daniele habemus 12. 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ, in perpetuas æternitates;* Ut in Cælo splendidiores sunt stellæ, ita inter salvatos Sanctosque, splendidiores erunt animæ sacerdotum, curam convertendarum animarum gerentium. *Si magna mercede dignum, à morte eripere carnem, quandoque morituram; quanti est meriti à morte animam liberare, sine fine victuram? S. Gregor. Moral. lib. 19. c. 16.* Ipsemet Salvator noster dixerat; *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum. Matth. 5. 19.* Si sacerdos se damnat per malam vitam, Deus bone! quanta patietur tormenta in inferno! Deus etenim, quam munificus in præmiando, tam severus in puniendo; præmiabit salutem procurantem sacerdotem, pœna maxima afficiet, neque

neque digitum admoventem saluti animarum.

22. S. Paulus, omnem spem suam in salute animarum reposuit. *Quæ est enim nostra spes?* verba Apostoli, *aut gaudium? aut Corona gloriæ? nonne vos, ante Dominum nostrum JESUM Christum estis, in adventu eius?.* 1. *Thess. 2. 13.* Sacerdos, tot Coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrificat. In Canticis legimus: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis ... de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Cantic. 4 8.* En promissionem, quæ expectat sacerdotes, circa salutem animarum ambulantes, qui peccatores feros Deo lucrati, inferni faucibus eripiunt. Omnes hæ decorem addent, tanquam gemmæ, coronæ sacerdotis. Sacerdos se damnans, non solus damnatur; & sacerdos salvans se, non solus salvatur. Morienti Sancto Philippo Nerio, omnes animæ ab eo salvatæ, obviam ierunt. Idem narratur de V. Fratre, Patre Cherubino Spoletano, qui inter millia animarum, Paradisum ingressus. Ven. Lud.

 Nuzzi

Nuzzi, per scalam secutæ sunt animæ stipantes, ab eodem saluti redditæ.

23. Patiuntur agricolæ, sudant in seminandis campis, & labor eorum, abundanti fructu compensatur. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Psal. 125. 6.* Omnis labor sacerdotum, apparebit abundans in iudicio Dei, multarum animarum salus, in Valle Josapæat.

24. Neque est cur desperet sacerdos, si convertens animas, non succedat conversio, labor enim eius, merces magna nimis. O! mi sacerdos, Bernardus allicit, *l. 4. de Consid. c. 2. Noli diffidere, curam exigeris, non curationem. Audisti? Curam illius habe, & non sana eum ... Unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum. Dicente Scriptura 1. Cor. 3. 8. Reddet Deus mercedem laborum; unusquisque autem, propriam mercedem accipit, secundum suum laborem;* Et S. Bonaventura de sex aliis &c. c. 5. *Non minus meretur in illis qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quam in his, qui maxime proficiunt. Non*

Non enim dicit Apostolus: Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum profectum, sed secundum suum laborem. De agricola idem Sanctus aiens: non resilit à terra arida, saxosa, fodit eam & seminat. *In terra sterili et saxosa, etsi fructus paucior, sed pretium maius.* Ita sacerdos, si laboret super peccatorem obstinatum, quamvis eum non converterit, attamen maior merces, quo labor maior.

§. IV.

De fine, mediis, circa zelum sacerdotis.

Si volumus à Deo recipere mercedem laborum nostrorum, circa salutem animarum, operemur non respectu hominum, non pro lucro temporali, sed pro honore & gloria Dei. Dicit S. Josephus Calassanctius: *Magnum genus stultitiæ foret, præsumere et hominum captare vulgique auram, pro labore circa proximum.* Et S. Bernardus: *Maximum periculum, de factis aliorum rationem reddere.* S. Gregorius: *Quod regendis subditis* sacerdos *præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. 24. Moral. cap. 30.* Pos-

sumus

ſumus cum auxilio Dei, abſque peccato operari, præmium habituri laborum; ſed ſi non Dei gloriam, verum vulgi opinionem, hominum laudem curaverimus, quomodo iuvabit nos Deus? Et quid faciunt, cum, ut S. Bonaventura loquitur, ad *Ordines Sacros accedunt, non ſalutem animarum, ſed lucra quærentes? Non ut meliores, ſed ut ditiores fiant; non ut ſanctiores fiant, ſed ut honoratiores ſint. S. Proſper libr. 1. de Vita Cont. cap. 1.* Volens aliquod beneficium adipiſci, interrogatne lucrum animarum: Certe non, ſed reddituum. *In promotionibus, prima quæſtio eſt, quæ ſit ſumma reddituum. Petrus Bleſenſis.* Multi dicente Apoſtolo, *quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt JESU Chriſti. Philip. 2. 21.* Ah! quantus abuſus, exclamat Ven. Pater Joannes de Avila, ordinare Cælum ad terram! Conſiderans verba S. Bernardus: *Paſce oves meas*, dicit, *non mulge, non tonde. Declam. cap. 11. n. 12. Mercenarii ſumus conducti; ſicut ergo nemo conducit mercenarium, ut ſolum manducet; ſic et nos, non ideo vocati ſumus à Chriſto, ut ſolum operemur quæ ad noſtrum pertinent uſum, ſed ad gloriam*

riam Dei. Auctor Imperfecti operis. Hom. 34. in Matth. Unde concludit S. Gregorius: Sacerdotes non, præeſſe ſe hominibus, gaudeant, ſed prodeſſe. Paſtor. 1. p. 1. c. 5.

26. Unicus finis ſacerdotis, labor & cura animarum, pro Dei honore & gloria. Media ad hæc, ſunt ſequentia. Imprimis perfectionem curare debet propriam ſacerdos. Medium ſingulare convertendarum animarum, ſancta vita ſacerdotis, Sacerdotes, *onus totius orbis portans, humeris ſanctitatis. S. Eucher. Hom.* 3. Sacerdos, tanquam mediator, uniat neceſſe eſt homines cum Deo. *Mediatoris enim officium eſt, coniungere eos inter quos mediator eſt. S. Thomas. Sup. 36. qu. 1. ar. 2.* Mediator autem, placere debet ei, apud quem intercedit. Enim vero, *cum is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus, ad deteriora provocatur. S. Gregor. Paſtor. p. 1.* Quocirca ſubiungit idem Sanctus, *Oportet munda ſit manus, quæ diluere aliorum ſordes curat. Ibidem cap. 9. Rectus ordo poſtulat, ut prius propriam, deinde alienas, curare ſtudeas conſcientias. S. Bernardus.* Dictitabat S. Philippus Nerius: Date mihi decem ſacer-

ſacerdotes cum ſpiritu, & converti faciant universum mundum, Quid non peregit S. Franciſcus ſolus in Oriente? Narratur de eo, quod decem milliones converterit Infidelium. Quid non egerit S. Patricius in Europa! & S. Vincentius Ferrerius? Sanctus Joſephus Calaſanctius in Hiſpania & Italia? Plures animas lucrabitur Chriſto, pius Sacerdos, mediocris eruditionis, quam centum eruditi absque virtute ſacerdotes, & ſpiritu.

27. Qui vult grandem meſſem colligere animarum, Orationi attendat; oportet enim ex Oratione diſcat ſpiritum, & poſtea communicet aliis: *Quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Matth. 10. 27. Sacerdos concham te exhibebis in Eccleſiu, non canalem; cœnales hodie in Eccleſia multas habemus, conchas vero perpaucas. S. Bernardus ſerm. 18.* Oratione, Sancti plures converterunt, quam eruditione.

28. Opera, ſacerdotem ſpectantia, ſunt hæc: 1. Corrigere peccantes. Sacerdos videns offenſam Dei & tacens, mutus canis dicitur: *Canes muti, non valentes latrare. Isaiæ 56. 10.* Hinc mutis canibus imputa-

imputabuntur omnia peccata, quæ impedire potuerunt. *Nolite tacere, ne populi peccata Vobis imputentur. Albin. Epis. 18.* Sacerdotes nolentes reprehendere, excuſant ſe dicendo: nolo inquietare. Sed iis dicit S. Gregorius: *Dum pacem deſiderant, pravos mores nequaquam redarguunt; & conſentiendo perverſis, ab auctoris ſe pace disiungunt. Paſtor. p. 3. Adm. 23.* Res mira; *cadit Aſinus, et eſt qui adiuvat; cadit homo, & non eſt qui ſublevet.* Sacerdos *eligitur, viam errantibus demonſtrare. S. Gregorius.* Unde ſubiungit S. Leo: *Sacerdos qui alium ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat. Nos, qui Sacerdotes vocamur, quotidie occidimus, quos ad mortem ire tepide videmus.* Scribit S. Gregorius.

29. Secundo. Sacerdos debet prædicare. Per prædicationem, univerſus mundus, ad Chriſtum converſus. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti. Rom. 10. 17.* Per prædicationem, conſervatur Fides, & timor Dei in hominibus. Sacerdotes inhabiles ad prædicandum, inter amicos, propinquos, Parentes converſantes, ad ædificationem referre debent bona exempla

exempla, Sanctorum vitas, opiniones de vita æterna vg. de vanitate mundi, de via salutis, de certitudine mortis, de pace & gaudio, constitutæ in gratia Dei animæ.

30. Tertio. Assistere curet moribundis. Hoc opus charitatis, est carissimum Deo, & utile animabus. Miseri siquidem infirmi, patiuntur plures dæmonis suggestus, & minus habent actus juvandi semetipsos. S. Philippus Nerius, vidit Angelos suggerentes moribundis, loco sacerdotis deficientis ex debilitate, contracta ex labore circa moribundum. Opus hoc pertinet ad Parochos ex iustitia, ad omnes vero cæteros sacerdotes, ex charitate. Huic sacerdotes, se applicare debent, licet non sint habiles ad prædicandum. Et hac in occasione, non solum omnes infirmos adjuvare tenentur, sed etiam omnes suos Parentes, propinquos moribundos. Tunc enim non alius discursus inseri potest, præter spectans animam, Deique gloriam. Advertat tamen in casu hoc, ne sit occasio ruinæ sibi vel aliis. Suam enim perderet, alienas salvans animas. Plura; qui non potest prædicare, instruat pueros, puellasque

que rusticorum, per plateas cursitantes, in villis manentes; qui non frequentantes Ecclesias, ignari prorsus vivunt, rerum Divinarum salutisque suæ, ac principiorum fidei.

31. Ultimo denique, sacerdos excipiendis Confessionibus, se addicere debet. Vener.P.Ludovicus F orelli,Dominicanus, quod prædicando lucramur animas Deo, retibus, mittendo eas in altum; Confessiones vero excipiendo, adducimus ad littus. Non time periculum hac in re, maius enim est, si ex tua pigritia, negligis, excipiendo Confessiones, iuvare animas Fidelium. *Væ tibi si præes; sed væ gravius, si quia præesse metuis, præesse refugis. S. Bern.* Dictum superius, quod omnis sacerdos, debeat curare salutem animarum, ne reus sit talenti absconditi; Ordinatur autem præcipue, ad distribuendum Sacramentum Pænitentiæ. Neque est ratio, cur respondeat, quod non sit gnarus. Gnarum enim, omnino necesse se præbeat. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. Malachiæ 2. 7.* Si discere non vis ad utilitatem proximi, quare ergo factus

factus es sacerdos? *Quis quæsivit hæc*, dicit Dominus, *de manibus Vestris, ut ambularetis in atriis meis? Isaiæ 1. 12. Quis te ad id coegit? S. Chrysostomus.* Adeundo sacerdotium, debueras te examinare, si tantum onus poteras sustinere. Modo dum es iam sacerdos, *tempus agendi, non consultandi. De Sac. l. 4. c. 1. Neque licet ad ignorantiam confugere: quando qui delegatus est, ut alienam emendet ignorantiam, ignorantiam minime prætendere poterit. Hoc nomine supplicium nulla excusatione poterit depellere, quamvis unius duntaxat animæ, jactura acciderit. Idem Chrys. lib. 6 cap. 1. Contra justitiam faciunt, nonnulli* sacerdotes, *qui otiosum studium, fructuosæ utilitati, regendæ multitudinis, anteponunt. S. Prosper, sive Iult. Pom. de Vita Cont.*

32. Denique, ut omnia quæ dixi, claudam. Potissima cura sacerdotis, procuratio Divinæ gloriæ, & salus animarum. Ideo S. Sylvester, dies septimanæ, ferias appellavit. *Quotidie sacerdos, abiecta terrenarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debet. In lect. Brev. die 31. Decembris.* Ipsimet Gentiles dictitabant, sacerdotem solum

Divinis

Divinis rebus se accingere. Jethro Moysi exprobrabat, quod se ingereret negotiis sæcularium, dicens, *Stulto læbore consumeris, esto tu ad populum, in his quæ ad Deum pertinent. Ex 18. Id scire oportet, te priusquam ordinabaris, tibi vixisse, ordinatum autem illis, quibus ordinatus es. S. Ath. Episc. ad Dracont. n. 2.* Quod ergo hoc officium? Certe non aliud, ac salus animarum. *Sacerdotibus proprie, salus animarum commissa est. S. Prosper libr. 2. de Vita Cont. cap. 2.*

CAPUT X,

De Vocatione ad Sacerdotium.

Plus quivis status ut deligatur, vocatio omnino est necessaria. Sine ea enim, difficillime obligationes status adimplentur, absque quibus homo salvari nequit. Et quamvis ad omnem statum requiritur vocatio, præcipue tamen, ad Ecclesiasticum statum. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Ioannis 10. v. 1. & 2. Latrones*

&

& fures apellat istos, qui se ultro, & non per sibi datam desuper gratiam obtrudunt. S. Cyrillus Alex. in Ioan. 10. 10. Et prius D. Paulus dixerat: *Nec quisquam sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus, non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu. Hebr. 5. 4.* Nullus ergo, quamvis prudens & doctus, appetere debet, mitti in sanctuarium non vocatus, sed introductus sit à Christo est necesse, *qui plenus gratiæ et veritatis, in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Coloss. 2. 3.* JESUS Christus ipse voluit vocari ad sacerdotium. Sancti à Deo ad sacerdotium vocati, timebant & tremebant. S. August. dicit! *Vis mihi facta est, merito peccatorum meorum. Epist. 21. alias 148.* S. Ephrem Syrus, ne sacerdos fieret, stultum se finxit. S. Ambros. crudelem se finxit. S. Ammonius Monachus, abscidit sibi aures, pollicitusque etiam sibi amputare linguam, si cogeretur ad ordinandum. Verbo, ait D. Cyrillus: *Omnes Sanctos reperio, Divini ministerii, ingentem veluti molem formidantes. Hom. 1. de Festiv. Pasch. Ita est aliquis sacrilegæ temeritatis, ac perditæ*

perditæ mentis, ut putet, sine Dei judicio, fieri sacerdotem? S. Cyrillus Ep. 55. ad Cornelium.

2. Hinc qui se intrudit sine vocatione ad sanctuarium sacerdotii, offendit auctoritatem Divinam, ceu offenderet Principem vasallus, ministrum se Principis constituendo. *Auderetne quis vestrum*, verba D. Bernardi, *terreni alicuius Reguli, non præcipiente aut etiam prohibente eo, accipere ministeria*, causas audire, *negotia dispensare?* Multo magis officia sacerdotum, qui sunt secundum S. Prosperum *Dispensatores Regiæ Domus; Duces et Rectores gregis Christi*, Ambros. *Interpretes Divinorum judiciorum.* Dionys. *Vicarii Christi* S. Joann. Chrys. Quid ergo dignus, ministrum se, absque vocatione Dei faciens? *Regnum velle servum crimen est.* S. Chrys. *sermon. 25.* Temeritas est, ingerere se negotiis privati. *Quid istud temeritatis est? imo quid insaniæ est? tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus* ad sacerdotium? *S. Bernardus de vita Clericorum cap. 3. Decernit S. Synodus, eos, qui ea* Ministeria, *propria temeritate sibi tribuunt, non Ecclesiæ ministros, sed fures*

fures et latrones per ostium non ingressos, habendos esse. Trident. Sess. 25. cap. 4. Laborabit sacerdos non vocatus, sed eius labores, displicebunt Deo, & opera eius, non meritum, sed demeritum habebunt. Si servo mandaret Dominus, custodem agere Domus, ille vero agrum coleret, quamvis in hoc labore sudaret, non mercedem, sed pœnam mereretur. De non vocatis sacerdotibus scriptura ait: *Non est mihi voluntas in Vobis dicit Dominus, munus non suscipiam de manu Vestra. Malach. 1. 10.* Et loco præmii, punientur: *Quisquis exterorum* ad Tabernaculum *accesserit, occidetur. Num. 1. 51.*

3. Qui appetit sacerdotium, examinet, num vocatus sit à Deo? *Quoniam dignitas magna est, revera Divina sententia comprobanda est, ut quis ea dignus, adducatur in medium. S. Chrys. Hom. 5. in 1. Tim. 1.* Ut cognoscat vocationem Dei, examinet signa eiusdem. *Quis enim ex vobis, volens ædificare turrim, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? Lucæ 14. 28.* Videamus ergo, quæ signa Divinæ vocationis, ad statum sacerdotalem

dotalem. Præprimis nobilitatem intueamur, non tam sangvinis, quam vitæ. *Principatum in populos, non tam sangvini deferendum esse, quam vitæ S. Hieronym. in Epist. ad Tit. 1. 5.* Idem dicit S. Gregor. *Quod dignos, divina probat electio, secundum vitæ, non generis meritum.* Non signum vocationis ad sacerdotium, Parentum voluntas. *Matres* enim, verba D. Chrys. vel alterius cuius, *corpora natorum amant, animas contemnunt; desiderant illos valere in sæculo isto, et non curant, quid sunt passuri in alio. Hom. 35. Oper. Imperf. in Matthæum.* Peiores Vocationis nostræ, inimicos non habemus, Parentibus. *Et inimici hominis, domestici eius. Matth. 10. 36.* Et subiungit: *Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est me dignus. Ibid. 37.* O! quot sacerdotes in die Judicii videbimus damnatos, qui secuti sunt voluntatem Parentum!

4. Res mira! sæpius accidit, ut Parentes ad religiosum statum, filio suo impedimento sint. Quid enim non faciunt, ut eum à proposito retrahant, sequentes passionem, vel negotia suæ familiæ? sed intelligant, ita agentes, quod peccent mortaliter

taliter; ſic docent communiter Theologi, ut adduxi, *in Oper. Morali l. 4. n. 77.* Peccant ergo Parentes, contra charitatem, ut & extranei, qui idem agunt. Secundo. Parentes, avertentes à vocatione, peccant mortaliter contra pietatem; obligati quippe ſunt, dare educationem filiis bonam & congruam ſaluti animarum. Nonnulli Confeſſarii, perſuadent Parentibus, debere eos, à Religioſo ſtatu, filios ſuos retrahere. Hi perſuaſores, Lutheri doctrinam ſequuntur, qui aſſerebat, peccare filios, inconſultis Parentibus intrantes Religioſum ſtatum. Sed adverſantur Sancti Patres Eccleſiæ, & Concilium Toletanum X. denuntiantes licitum eſſe, tranſactis annis 14. fieri Religioſum, licet contra voluntatem Parentum. Obedire in omni debent Parentibus filii, quoad educationem & domus negotia; ſed in his, quæ vocationem ſpectant, nullatenus. Maior enim obedientia debetur Deo, quam Parentibus. Exigentibus Parentibus, reſpondeant D. Pauli verbis: *Si juſtum eſt, in conſpectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Actor. 4. 19.*

5. Docet S. Thomas *22. qu. 10. a. 5.* quod

quod filii, in electione ſtatus, non obligantur obedire Parentibus. Tractans vero de Religioſo ſtatu, *2. 2. qu. 189. a. 10.* & ſacerdotio, ait nunquam. *Propinqui enim carnis, in hoc negotio amici non ſunt, ſed inimici, iuxta ſententiam Domini: Inimici hominis, domeſtici eius.* S. Bernardus exclamat: *O! durum Patrem! o! ſævam matrem! quorum conſolatio, mors filii eſt, qui malunt perire cum eis, quam regnare ſine eis. Epiſtol. 111.* Si vero filius quod emolumentum allaturus eſt, factus Presbyter, Parentes eum adigunt, fas per nefas ordinationem procurant; licet filius nolit, remorſum conſcientiæ habens. O! Patres barbari! Tyranni natorum ſuorum, *non Parentes, ſed peremptores.* Bernard. ibidem. O! Parentes miſeri! o! filii miſeri! quot veſtrum cernetis ad invicem in valle Joſaphat damnatorum!

6. Redeamus ad ea quæ diximus. Signum vocationis ad ſacerdotium, non in nobilitate ſangvinis, non in voluntate Parentum, neque in talento habilitatisque potentiæ, ſed in eo conſiſtit, ut 1. finis habeatur rectus. Per oſtium intrandum

eſt

eſt, quod eſt Chriſtus ipſe. *Ego ſum oſtium ovium &c. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur. Ioann. 10. 7. 9.* Non eſt ergo porta ad ſacerdotium, placitum Parentum, augmentum Domus, negotia & æſtimatio propriæ perſonæ famæque, ſed propagatio gloriæ Dei, & ſalus animarum. *Si enim quis, liber ab omni vitioſo affectu, ad Clerum Deo deſerviendi cauſa, & ſalutis populi gratia, ſolum ſe conferat, iſte vocari à Deo præſumitur. Cont. Tournely. de Sacr. Ord. qu. 4. ar. 4. in fine. Si ambitione duceris, vel avaritia? inhias honori? non te vocat Deus, diabolus tentat. Hallerius app. 1. ſect. 3. cap. 2. §. 2. Qui enim ſe ingerit,* verba D. Anſelmi, *et propriam gloriam quærit, gratiæ Dei rapinam facit. Et ideo non accipit benedictionem, ſed maledictionem. S. Anſelmus in Caput 5. Hebr.*

7. Alterum ſignum ſacerdotis vocationis, talentum, ſeu ſcientia, conveniens ſacerdotio. Sacerdotes ſunt Magiſtri populi. *Labia enim ſacerdotis, cuſtodient ſcientiam, et legem requirent ex ore eius. Mal. 2. 7. Medici, parum docti, multos occidunt. Sydonius.* Sacerdos ignorans, præcipue excipiens

Confeſſiones, inſtruit in errore, conſilia dat non congrua, & occidit per hoc, multas animas. Sacerdoti enim, facillime creditur. Quocirca, ſcribit Jvo Carnotenſis: *Nulli ad ſacros ordines ſunt promovendi, niſi quos vita & doctrina, idoneos probat. Ep. 213.* Sacerdos, per notitiam Rubricarum Miſſalis, ſcire debet omnia, ſpectantia ad Sacramentum Pænitentiæ. Verum quidem, non omnis ſacerdos obligatur excipere Confeſſiones extra neceſſitatem, ut *in præced. cap. n 5.* diximus; tamen omnis ſimplex, paratus eſſe debet, ad excipiendas Confeſſiones moribundorum, ſcire debet, quando abſolutio danda, ſub conditione Infirmo, quando vero non? quid faciendum cum cenſura? verbo, ſcire debet principia ſingula Moralis Theologiæ, omnino.

8. Tertium ſignum eſt vita bona, ad Eccleſiaſticum ſtatum. Ordinandus ergo, vitæ ſit neceſſe innocentis, non ſe volutans in peccatis. Ita mandat Apoſtolus Tito: *Et conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt. ad Tit. 1. 5. & 6.* Antiquitus, uno

uno peccato commiſſo, non poterat ordinari, ut ex Niceno 1. cap. 9. habemus. *Qui confeſſi ſunt peccata, Eccleſiaſticus Ordo non ſuſcipit*. S. Hieronymus. *Ex eo tempore, quo in Chriſto renatus eſt, ſcilicet à Baptismo, nulla peccati conſcientia, remordeatur*, qui vult ordinari. *In Epiſt. ad Tit. 1.* Verum quamvis jam dudum non adhibetur hæc Diſciplina in Eccleſia, attamen, qui ordinari cupit, prius neceſſe omnino, ut conſcientiam ſuam purget, per intervallum pænitentiæ: ut conſtat *ex cap. 1. de Diacon. Qui Cler. vel nov. &c.* Alexander III. ſcribens de Diacono, qui alterum Diaconum feriit, jubet ne exerceat Officium ſuum, donec pænitentia delictum auferat. *Et ſi perfectæ vitæ et converſationis fuerit, addit ſummus* Pontifex, *eum in Presbyterum poteris ordinare Sed horreo, conſiderans*, verba S. Bernardi, *unde et quo vocaris; præſertim cum nullum incurrerit pænitentiæ tempus. Et quidem, rectus ordo requirit, ut prius propriam, deinde alienas curare ſtudeas conſcientias. Ep. 8. ad Brun.* Loquens auctor quidam, de temeritate eorum, qui in peccatis ſacerdotium petierant, ait: *Multos digniores*

digniores, ad cataſtam pœnalem, quam ad ſacerdotium trahi. Gyldas ſapiens. Hom. 3. Bibl. PP. Non ergo *ſunt promovendi ad regimen Eccleſiæ, qui vitiis ſcatent. S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono cap. 54.*

9. Qui aſpirat ad altare non ſolum vitiis carere debet, ſed etiam in via perfectionis ſtare, virtutis habitum tenere. Dixeram, probans in opere Morali, *lib. 6. n. 63.* Sanctorum Patrum teſtimonio, quod ordinandus non ſolum diſpoſitus eſſe debet, per Sacramentum pænitentiæ, abrenuntians vitiis ſuis, ſed diſponendus adhuc eſt, ad Sacramentum ordinis. Ordinans indiſpoſitum ita peccaret, ut abſolvens incapacem. Curanda eſt ergo diſpoſitio ordinando, & ordinandi in ordinando. *Si perfectæ vitæ, & converſationis fuerit.* Alexander III. Et S. Thomas *2. 2. qu. 189. ar. 1. ad 3. Ordines Sacri, præexigunt ſanctitatem, unde pondus ordinum, imponendum parietibus, iam per ſanctitatem de ſiccatis, id eſt, ab humore vitiorum.* Ante quem Sanctum Doctorem, ſcripſerat prius, S. Dionyſius Areopagita: *In Divino omni, non audendum aliis Ducem fieri, niſi ſecundum omnem*

omnem habitum ſuum, factus ſit Deiformiſſimus, & Deo ſimillimus. Cap. 3. de Eccleſ. Hierar. Cuius adfert rationem 1. D. Thomas: *Ad idoneam executionem ordinum, non ſufficit bonitas qualiscunque, ſed requiritur bonitas excellens; ut ſicut illi qui ordinem ſuſcipiunt ſuper plebem conſtituuntur gradu ordinis, ita & ſuperiores ſint, merito ſanctitatis. ... Et ideo praexigitur gratia, quae ſufficiat ad hoc, quod digne connumeretur in plebem Chriſti. S. Thomas ſupp. qu. 35. art. 1. ad 3. Quia per Sacrum Ordinem deputatur aliquis ad digniſſima Miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſervitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur maior ſanctitas interior, quam requirat etiam Religioſus ſtatus. S. Thom. 22. qu. 100. 84. ar. 4.*

10. Hac de cauſa, prohibet ordinari S. Paulus Neophytos, ſcribens ad Timotheum. *1. Tim. 3. 6. Qui non ſolum aetate Neophyti, ſed & perfectione Neophyti.* Quocirca, Concilium Tridentinum: *Sciant Epiſcopi, debere ad hos Sacros Ordines aſſumi, dignos duntaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit.* Juxta autem ſcripturam: *Aetas ſenectutis, vita immaculata. Sap. 4. 9.* Huius vero

ro bonitatis, non dubiam ſed certam notitiam neceſſe, ut docet S. Thomas ſuppl. qu. 36. artic. 4. ad 3. Habeatur certitudo, de qualitate promovendorum. Praecipue, quoad virtutem caſtitatis: *Nullus debet ad miniſterium Altaris accedere, niſi cuius caſtitas, ante ſuſceptum miniſterium, fuerit approbata. S. Gregor. l. 1. Ep 42.* Probatio huius autem, per plures annos fiat, dicit Pontifex Sanctus. *Ne unquam ii, qui ordinati ſunt, pereant; prius aſpiciatur, ſi vita eorum continens ab annis pluribus fuit. Ibidem.* Advertenda vita ordinandorum, ut ſint bono exemplo, non ſcandalo, vita immaculata, non vitiis conſpicui. Ordinantes, omnium peccatorum complices ſunt, quae commiſſuri ſunt ordinati, praecipue Parochi. Clericum ergo vitae exemplaris, qui cum pietate Sacramenta ſuſcipere conſueuit, ordinet. Sicut enim Confeſſarius, incontinentem abſolvere non poteſt, niſi prius ei conſtet, mutaſſe vitam poenitentem; ſin ſecus, omnium peccatorum eius complex foret; ita Epiſcopus ordinans ſacerdotem peccatorem. Probet ergo, ſi ſit vitae immaculatae.

11. Qui suscipit ordines Sacros, absque vocatione, nequit excusari à gravissima culpa. Doctrina Doctorum Theologiæ. Habert. *de Ordin. p. 3. c. 1. §. 2.* Natalis Alexand. *de Sacr. Ord.* Juveninus. *Diss. 8. qu. 7. c. 1.* Continuator Tournely *de Oblig. Cleric. Tom. 3. c. 1. Art. 1. Concl. 3.* S. Augustinus, loquens de Core, Dathan & Abiron, addit: *Condemnati sunt, ut daretur exemplum, ne quis, non sibi à Deo dadum Pontificatus munus, invaderet &c. Hoc patiuntur, quicumque se, in Episcopatus aut Presbyteratus, aut Diaconatus officium, conantur ingerere. S. Aug. serm. 98.* Ratio huius, quia impossibile est, ut præsumptionis non damnetur, se ultro ingerens in sanctuarium, absque vocatione Divina. Privabitur enim, omni auxilio Dei, in adimplendis obligationibus. Scribit Cl. Habertus: *Absolute quidem, sed non sine maximis difficultatibus, poterit suæ saluti consulere. Manebitque in corpore Ecclesiæ, veluti membrum in corpore humano, suis sedibus motum; servire utcunque potest, sed ægre admodum, & cum quadam deformitate.*

12. Qui sciens & volens, scribit Episcopus

pus pius ac doctus Abelly, *nulla Divinæ Vocationis habita ratione, se in sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertissimum salutis discrimen iniiceret, peccando scilicet in Spiritum Sanctum; quod quidem peccatum, vix aut rarissime dimitti, ex Evangelio discimus. Sac. Christi p. 1. c. 4.* Indignatur Dominus iis, qui accedunt non vocati, ad altare Dei. *Ipsi regnaverunt et non ex me; iratus est furor meus in eos. Osee 8. 4.* Commentatur S. Gregorius; *Ex se, et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis, rapiunt potius quam assequuntur. S. Gregor. Pastor. p 1. c. 1.* Omnia impensa, omnes conatus, Orationes sine Vocatione, haud proderunt, non vocato ad statum Ecclesiasticum. Væ his, dicit Dominus: *Va vobis filii desertores, ut faceretis consilium, & non ex me. Isaiæ 30. 1.* In die Judicii, sacerdotibus præmium poscentibus, quid dicet Dominus, consideremus. *Multi dicent in illa die, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* absolvendo pænitentes, *& virtutes multas fecimus*, corrigendo, lites sedando, convertendo peccatores? *Et nunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, disce-*

dite a me; Operarii iniquitatis. Matth. 7.22. Sacerdotes non vocati, non ſunt Miniſtri Dei, ſed diaboli, intruſi in ovile, ſine vocatione. Vos ſacerdotes non vocati, *tollitis non accipitis claves; de quibus Dominus quæritur: Ipſi regnarunt, ſed non ex me. S. Bernard de Conv. ad Clericos.* Laborabunt, ſed labor eorum non remunerabitur; imo punientur, quoniam non via recta ingreſſi ſunt ſanctuarium. *Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in Urbem pergere, Eccles.* 10. 15. *Eos Eccleſia accipit, quos Spiritus Sanctus praeparaverit, et dignatio Caeleſtis gratiae gignit. S. Leo. in die aſſumpt. ſuae.* Sin ſecus? *Nemo deterius Eccleſiam Dei laedit,* cum *non eos vocet Dominus. S. Petr. Dam. Op.* 2. *contra Cleric. cap.* 2. Et alio in loco: *Ecclesia reprobata, cuiuslibet ordinatione.*

13. *Quos elegerit* Dominus, *appropinquabunt ei. Num.* 16. 5. Electi à Domino ab eodem ſuſcipientur; non electi, à Domino pellentur. S. Ephrem. miratur dicens: *Obſtupesco ad ea, quæ ſoliti ſunt, quidam inſipientium audere, qui temere ſe conantur ingerere, ad munus ſacerdoti aſſumendum, licet non adiuti à gratia Chriſti, ignorantes, miſeri quod ignem æternum sibi accumulent. De ſacerd.* Et Petrus Bleſenſis: *Usurpati auſus ſacerdotii, ſacrificium in ſacrilegium, vitam convertit in mortem.* Qui errat in vocatione, committit ſe in maius periculum, quam is, qui peccata committit, transgrediendo præcepta Dei. Hic enim, poſtquam ceciderit, ſurgere poteſt, ille errans de via recta, magis ac magis recedit à Patria. Applicandum his, D. Auguſtini effatum: *Bene curris ſed extra viam. A vocatione pendet aeternitas.* D. *Gregorius aſſerit:* Vocato à ſe, Divina Providentia aſſiſtit, ne in abdita feratur. *Ordine ſuo non noſtro, ſpiritus* Sancti *gratia miniſtratur. S Cyprianus.* Hic eſt ordo, prædeſtinationis cuiuscunque: *Quos prædeſtinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et iuſtificavit* &c. *illos et glorificavit. Rom.* 8.

8.30. Et ſic à vocatione pendet iuſtificatio, à iuſtificatione glorificatio. Qui ergo non obedit Divinæ vocationi, non iuſtificatur; & qui non iuſtificatur, non glorificatur, Optime RP. Granata Vocationem appellaverat *rotam magiſtram.* Uti enim ab hac, in horologio pendent reliquæ, ita à vocatione tota vita: & qui erraverit in Vocatione, S. Gregorius Nazianzenus dicit, in tota vita erravit. In hoc enim ſtatu, vivet absque Vocatione, in quo privabitur omni auxilio Dei.

14. *Unusquisque proprium donum habet, alius quidem ſic, alius vero ſic, Apoſt. Paul.* 1. *Cor.* 7. 7. Quæ verba, interpretes poſt S. Thomam, explicant. *Cuique datur potentia aliqua divinitus, dantur ea omnia, per quæ executio illius, poſſit congrue fieri. Sup. qu.* 35. *a.* 1. Et alio in loco: *Illos, quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei: ſecundum illud:* 2. *Cor.* 3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti. S. Thomas* 3. *qu.* 27. *art.* 4. Omnis itaque qui à Deo eligitur, aptus eſt ad ea, ad quæ eligitur, ineptus vero ad ea, ad quæ non eligitur. Sicut pes, ad ambulandum deſignatus, non eſt aptus ad videndum, neque auris ad ambulandum; ita ſacerdos non vocatus, ineptus ad ſacerdotio fungendum. Elegit Deus ad laborandum in vinea ſua. *Elegi Vos, ut fructum adferatis. Ioan.* 15. 8. Non iuſſit Dominus, alios adhibere ad meſſem, ſed iis ſolis metere. *Rogate Dominum meſſis, ut mittat Operarios in meſſem ſuam. Lucæ* 10. 2. Quem vero vocat Deus, eidem auxilium tribuit. *Sicut me miſit Pater, ita ego vos mitto. Ioan:* 20. 21. S Leo dicit: *Qui mihi honoris eſt autor, ipse mihi adminiſtrationum fiet adiutor. Dabit virtutem, qui contulit dignitatem. ſerm.* 1. *in die Aſſumpt. ſuæ.* Expreſſit Dominus per verba hæc: *Ego ſum oſtium. Per me si quis introierit ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet. Ioan.* 10. 9. *Ingredietur,* intelligunt hæc verba, vocatum à Deo; et

& egredietur, inveniet scilicet media, ad occasiones & pericula, cum auxilio supremi numinis cavenda: *& pascua inveniet.* Assistentes gratias ministerio suo, ut proficiat in Spiritu quærens & inveniens Dominum. Quocirca exclamabit cum Davide: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ me collocavit. Psal.* 22. 2.

15. Eos, qui non vocati ad sacerdotium, Dominus derelinquet. Hæc dicit per os Jeremiæ: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant. Propterea, ecce ego Vos tollam portans, et derelinquens Vos, et dabo Vos in opprobrium sempiternum., et ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur. Ierem.* 23. 21. *et* 39. *Homo ad sacerdotium, oportet ut virtute Divina evehatur, & transmittatur super naturalium rerum ordinem; constitutus enim sanctificator populi, Vicarius JESU Christi.* S. Thomas ait. Qui autem semetipsum extollit, dicit Sapiens: *Postquam elevatus est in sublimi, stultus apparuit. Prov.* 30. 32. Si mansisset in sæculo, esset bonus sæcularis; sed factus sacerdos non vocatus à Deo, est malus sacerdos, & nunc Ecclesiæ adfert damnum. Ita habet Catechismus Romanus *de Sacr. Ord. Huiusmodi hominum genere, nihil infelicius, nihil calamitosius Ecclesiæ esse potest.* Quid enim boni agere poterit, non vocatus ad Ecclesiam? *Impossibile est, ut bono peragantur exitu, quæ sunt malo inchoata principio. S. Leo.* Et S. Laur. Justin. *Qualem, oro, fructum potest producere corrupta radix? Apud Cath. Rom. de Ordin.* Dicit Dominus, *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cælestis, eradicabitur. Math.* 15. 13. Quocirca, scribit Petrus Blesensis, quod non vocatum ad sacerdotium, pœna maneat non gratia. *Ira est non gratia, cum quis ponitur super viretum, nullas habens radices in soliditate virtutum.* S. Bernardus vero: *Qui non fideliter introivit, quidni infideliter agat, et contra Christum faciet, ad quod venit, ut mactet utique ac disperdat. Declam c.* 7. Ad id collineant verba Christi *Ioan.*

10. 10. *Qui non intrat per ostium, ille fur est et latro. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.*

16. Sed ad hæc omnia quæ dixeram, respondebit quispiam. Si dicta tua servanda forent, careret Ecclesia sacerdotibus. Ad quæ Concilium Lateranense IV. reposuit dudum. *Satius est, maxime in ordinatione sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere.* Et S. Thomas: *Supp. qu.* 36. *ar.* 4. *ad* 1. *Deus ita nunquam deserit Ecclesiam, quin inveniantur idonei ministri, sufficientes ad necessitatem plebis.* Qui adhibet ministros malos, ad necessitatem populi, S. Leo dicit, non salvat sed perdit populum. *Non est hoc consulere populis, sed nocere. Ep.* 1. *alias* 87. *ad Afric. Episcop.*

17. Quid igitur sacerdos, ingressus sanctuarium suum absque vocatione agere debet.? Desperare? non certe, reposuit huic quæstioni S. Gregorius. *Sacerdos sum non vocatus, quid faciendum? Ingemiscendum.* Cum lacrymis & pœnitentia placare Dominum, ut ignoscat, ausum se ultro intrudere in sanctuarium eius; & absque Vocatione, ad sacerdotium accessisse. *Siquidem vitæ bonitas non præcessit, saltim sequatur.* S. Bernardus docet, *Ep.* 27. *ad Ardut. Bonas fac*, idem S. *vias tuas et studia tua*, & mores tuos & conversationem tuam. Si ignorantia peccas, applica te continuæ lectioni Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & bonorum Theologorum. Si tempus consumpseras in otio, in conversatione sæculi, accinge te totum Orationi, libris Asceticis solidis, assiduitati Ecclesiæ. Oportet autem in his, ut tibi adferas violentiam, ceu membrum putidum, cum magno labore sanum restituas. Non te terreat subtractio Divinarum gratiarum, accedentem ad sacerdotium absque Vocatione, labor enim tuus & sufficiens gratia, efficacem adferet. Docet Cl. Habertus & Colletius Cont. Tournelyi. Ora & obtinebis quod amisisti; labora, & mercedem habebis. *Deus enim tunc ex misericordia sua, ea homini largitur*

auxilia, quæ legitime vocatis, ex qualicunque justitia debet. Et ut dicit Concilium Tridentinum: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis; et petere, quod non possis; et adiuvat, ut possis. Sessione 6. c. 13.*

Finis Opusculi de Sacerdotio.

INDEX

Capitum, in hoc Opusculo contentorum.

Ad Majorem DEI, Gloriam.

Manuscriptum hoc cui titulus: Opusculum de sacerdotio ex Italico traductum integrum relegi, nihilque SS. Fidei Catholicæ ac probis moribus contrarium continere testor. Datt. Varsaviæ A. D. 1770. die 26. Septembris.

Simon Boydecki Scholarum
Piarum Consultor Provinciæ
Librorum Censor *mpp.*

Imprimatur

ANDREAS STANISLAUS Episcopus.